



Dissertatio historico-juridica de magistro navis

<https://hdl.handle.net/1874/9755>

12
DISSERTATIO HISTORICO-
JURIDICA

DE

MAGISTRO NAVIS.

PARS PRIOR,

QUAM,

QUOD DEUS BENE VERTAT,

PRÆSIDE

JACOBO HENRICO VAN REENEN,

J. U. D., IN ILL. ATHENÆO AMSTEL.
JURIS CIVILIS. TUM ROM. TUM HOD.
PROFESSORE,

AD PUBLICAM DISCEPTATIONEM PROPONIT

JACOBUS VAN HALL,

AMSTELODAMENSIS.

AD DIEM XIII. NOVEMBRIS, HORA XI-XII.

In majori Athenæi auditorio.



AMSTELODAMI.

APUD VID. LAUR. VAN HULST *et* FIL.

CIDCCCXXII.

VIRO CONSULTISSIMO,

MAURITIO CORNELIO VAN HALL,

*J. U. D. ORD. LEON. BELG. EQUIVI, INST. REG.
ART. ET DOCTR. SOCIO,*

PATRI OPTIMO,

VIRIS CLARISSIMIS,

DAVIDI JACOBO VAN LENNEP,

*J. U. D. ORD. LEON. BELG. EQUIVI, INST. REG.
ART. ET DOCTR. SOCIO, IN ILL. ATHENAEO
AMSTEL. HISTOR. ELOQ. POES. ANTIQ. LITT.
GRAEC. ET LAT. PROFESSORI,*

E T

JACOBO HENRICO VAN REENEN,

*J. U. D. INST. REG. ART. ET DOCTR. SOCIO, IN
ILL. ATHENAEO AMSTEL. JURIS CIV. TUM
ROM. TUM HOD. PROFESSORI.*

PRÆCEPTORIBUS, OPTIME DE SE MERITIS,

hoc pietatis, venerationis gratique
animi specimen

D. D. D.

AUCTOR.

1. The first part of the document
describes the general situation
of the country at the time
of the discovery of the
gold.

2. The second part of the document
describes the progress of the
gold mining industry in
the country during the
last few years.

3. The third part of the document
describes the present state
of the gold mining industry
in the country and the
prospect for the future.

4. The fourth part of the document
describes the measures
which have been taken
to develop the gold
mining industry in the
country.

5. The fifth part of the document
describes the results of
the measures taken to
develop the gold mining
industry in the country.

6. The sixth part of the document
describes the conclusions
which have been reached
regarding the gold mining
industry in the country.

P R A E F A T I O.



Cum ita semper cogitasset, juveni, in eligenda, de qua sententiam suam exponat, materia, spectandam esse imprimis, quam ex ea tractanda capere possit, utilitatem, avide arripiebam Patris optimi consilium, DE MAGISTRO NAVIS ut discererem, suadentis. Sic enim opportunitatem nauciscebar, cum juris maritimi rationem, rem mihi novam, atque in publicis scholis raro explicari solitam, accuratius considerandi, tum in ejus historiam inquirendi. Cum vero gratisima

mihî semper fuisset omnis historica juris disquisitio, eo promptius ad hoc argumentum accessi, quo certius cognovissem, in rebus nauticis prorsus eam esse necessariam. Quae cogitatio veniam mihi impetrabit apud eos lectores, si quos inventurus est hic libellus, quibus, pro modo ipsius dissertationis, nimis ampla et copiosa videantur ea, quae introductionis loco, circa juris nautici historiam, scriptioni praemisi.

Quod autem in duas partes disputationem meam dispertierim, alteram in Athenaeo nostro extra ordinem, alteram vero ex legis placito in nobilissima Academia Rheno-Trajectina defensurus, monitis eorum effectum est, quorum auctoritati cedere et consiliis obtemperare, summae mihi semper fuit religioni. Hujus divisionis haec est ratio, ut pars prior, tum Prolegomena, quibus continetur brevis juris nautici historia, tum etiam

Caput primum, de officii magistri navis univ-
 versa ratione, *complectatur*. *Parte altera*
magistri subinde, ante iter susceptum, in fa-
 ciendo itinere, et post iter confectum *ratio*
habebitur. *Quibus diversis ejus muneris par-*
tibus tribus Capitibus expositis, sequitur *Ca-*
put quintum, in quod omne magistrum inter
 et nautas *exponendum* juris vinculum *rejeci-*
mus, atque *simul* *occasionem arripuimus*
etiam de munere, quod ipsa lege ei tributum
 est, *disputandi*, cum cetera ejus officia fere
 ex vi pactorum videantur deducenda. In his
 autem omnibus, ad aequitatis et utilitatis
 normam juris placita exigentes, non tantum
 quid placuerit, verum etiam qua ratione,
 et cur ita sancitum videatur, exponere fui-
 mus conati.

Quod si, vel in hac dissertatione conscri-
 benda, qua parte recte rem meam gesserim,
 vel in universa Juris Civilis disciplina quid

*profecisse videar, habes tu, Clarissime VAN
 REENEN! quod tuum tibi vindices. Cum enim,
 quo tempore ante hos quatuor annos juris-
 prudentiae operam dare incipiebam, Jus Ci-
 vile solus tu in nostro Athenaeo exponeres,
 non tantum scholarum tuarum egregia insti-
 tutione, artem aequi bonique didici, sed
 praeterea, quae tua erga discipulos solet
 esse comitas, in interiorum tuam familiari-
 tatem admisus, uberiores adhuc ex tuis
 monitis et praecipis percepi fructus. Lae-
 tor equidem, Vir Clarissime! me publice
 hic gratias tibi agendi adeptum esse oppor-
 tunitatem, non quasi me ad tuam laudem
 aliquid conferre putem, sed quod justa gra-
 tiarum actione nihil sit jucundius. Sis tu,
 precor, diu patriae decus, Athenaci lumen,
 mei non immemor! Tum vero, cum etiam
 tuae vitae finem imposuerit generis humani
 fors communis, eadem laude vigeas apud*

omnes discipulos, idem tui apud cives sit desiderium, quale est etiamnum celeberrimi Viri, HENRICI CONSTANTINI CRAS, cujus scholis me interfuisse aliquando inter felicissima, quae mihi contigerunt, referendum censeo et existimabo semper!

Vobis etiam, Viri Clarissimi! quos cum laudatis Duumviris, in variis, quae ad humanitatem pertinent, doctrinis, me nactum esse Praeceptores, ipse mihi gratulor; vobis, inquam, celeberrimi et nobilissimi Viri! VAN SWINDEN! VAN LENNEP! DEN TEX! VAN CAPPELLE! VAN DER BRECCEN! atque tibi, quem utinam superstitem adhuc in clarissimo ordine compellare contingeret, beate BOSSCHA! pro beneficiis in me collatis, gratias ago habeoque maximas. Quam plurima Vobis omnibus me debere profiteor! Imprimis vero tibi, clarissime VAN LENNEP! si quis mihi studiorum sit amor, si qui futuri sunt unquam

*quam progressus mei in litteris, in humani-
tatis studiis, tibi illud habebō referendum,
qui, per integram studiorum meorum cur-
sum, re et consiliis mihi semper summa bene-
volentia adfuisti! — Utinam Vobis imprimis
non prorsus indigna videatur haec scriptio,
quae ex vestra disciplina proficiscatur!*

CONSPECTUS OPUSCULI.

PARS PRIOR.

PROLEGOMENA. *Observationes circa juris nautici historiam.*

Utilitas hujus disquisitionis.

De jure maritimo Græcorum, imprimis Atheniensium.

De ceterarum gentium mari mediterraneo adjacentium, Rhodiorum imprimis, legibus nauticis.

Jus maritimum Romanorum.

De conditione juris Romani in medio aevo.

Cruciatorum expeditionum tempore, aducto per universam Europam navigandi studio, tum in septentrionali, tum in meridionali Europae parte, condita sunt jura nautica.

De juris maritimi, quod vulgo meridionalis Europae habetur, corpore: *il Consolato del mare.*

De lege Gallica antiqua *Role d'Oleron.*

Jus Wisbicense.

De vi et efficacia harum legum, aliisque juris Corporibus, quae ad haec tempora sunt referenda.

Observatio de contractu assecurationis hoc fere tempore invalescente.

Apud singulas gentes, imprimis in Patria nostra, varia edicta et placita circa jus maritimum eduntur.

In Gallia leges nauticae promulgantur cum nostris deinceps communicatae.

De jure maritimo ceterarum Europae gentium.

CAPUT PRIMUM. *De universa officii Magistri navis ratione.*

- §. 1. De Exercitoribus et juris vinculo, quo inter se juncti sunt.
- §. 2. Quis sit Magister navis et quis eo munere fungi possit.
- §. 3. Qualis contractus sit, quem cum Magistro ineunt Exercitores, quaenam culpa ab eo praestetur, quale stipendium ipsi tribuatur.
- §. 4. Circa quas res versetur potissimum Magistri officium, et quomodo ex rebus ab eo gestis teneantur Exercitores.

PARS ALTERA.

CAPUT SECUNDUM. *De Magistro ante iter susceptum.*

SECTIO I. De officiis Magistri navis erga exercitores.

- §. 1. De potestate Magistro tributa in locanda nave et recipiendis viatoribus.
- §. 2. De officiis Magistri in instruenda nave.
- §. 3. De navis legitime inspiciendae, jure Gallico constituta, ratione, quae apud nos usu non venit.
- §. 4. De scriptis instrumentis, quae antequam iter recte suscipiat, sibi comparare debet Magister.
- §. 5. De eo, an Magistri sit curare, ut navis assecuretur.

SECTIO II. De pactis inter Magistrum navis et Mercatores, atque obligationibus hinc oriundis.

- §. 1. De pacto navis onerandae.
- §. 2. De recipiendo onere et instrumento, ex quo onus impositum esse constat.

SECTIO III. Privilegium Magistri et ceterorum nautarum propter debita non conveniendorum, cum navis ad iter suscipiendum jam est parata.

CAPUT TERTIUM. *De Magistro navis in faciendo itinere.*

SECTIO I. De Magistri officii circa navem.

- §. 1. De cura navis in eligendo tempore ad navigandum apto, in conducendis vadorum exploratoribus, et societate cum aliis navibus nonnumquam iucunda.
- §. 2. De portibus praeter mandatum non frequentandis, iisque, quae in statione degenti observanda sunt, item de casu, quo navis altera ab altera deprimatur.
- §. 3. De tabulis accepti et expensi et notandis decretis ceterisque omnibus, quae deinceps notata fuisse expedit; de auctoritate consilii navalis.
- §. 4. De casu, quo alium sibi substituerit, et quid faciendum sit, quum diem in itinere Magister obeat.

SECTIO II. De officii Magistri circa onus.

- §. 1. De itinere justo tempore fuscipiendo.
- §. 2. De onere in locum destinatum transvehendo.
- §. 3. De curandis mercibus.

SECTIO III. De iis, quae ad communem navis simul atque oneris curam pertinent.

- §. 1. De eo, quod facere debet Magister, hostibus piratisve supervenientibus, aliave urgente necessitate.
- §. 2. De avariis et contributione.
- §. 3. De naufragio et capta nave.
- §. 4. De alimentorum et pecuniae inopia et facultate, Magistro concessa, mutuum sibi comparandi pecuniam.
- §. 5. De pecuniae trajectitiae et venditarum mercium ratione et effectu.

CAPUT QUARTUM. *De officiis Magistri confecto itinere.*

SECTIO I. De Magistri obligationibus erga exercitores.

- §. 1. Officia Magistri erga exercitores, cum in locum destinationis ventum est.
- §. 2. De rationibus exercitoribus reddendis, universo itinere absoluto, et exauctorando Magistro.

SECTIO II. De Magistri obligationibus erga mercatores.

- §. 1. De onere exhibendo.
- §. 2. De exigendis a mercatoribus praestationibus et refarciendo damno ipsis dato.

CAPUT QUINTUM. *De juris vinculo Magistrum inter et nautas, eique concessa nonnumquam Judicis Magistratusque partes agendi facultate.*

SECTIO I. Ratio inter Magistrum et nautas, quae ex pacto oritur.

- §. 1. De Magistri in conducendis nautis auctoritate et contractu, quem cum iis inire solet.
- §. 2. De juribus et obligationibus ex vi ejus contractus oriundis.

SECTIO II. Vinculum juris, quod inter Magistrum eosque, qui in nave degunt, lege moribusque constitutum est.

- §. 1. Quatenus jus puniendi eos, qui in nave degunt, Magistro concessum intelligatur.
- §. 2. In quibus causis Magistratus officio fungatur Magister.

DISSERTATIO

DE MAGISTRO NAVIS.

PROLEGOMENA.

OBSERVATIONES CIRCA JURIS NAUTICI HISTORIAM.

Utilitas hujus disquisitionis.

Quod dixit CICERO (1), non opinione sed natura jus esse constitutum, illud profecto vel imprimis de jure maritimo dicendum videtur. Est enim legum nauticarum haec fere ratio, ut contineant, quas necessitas postulavit, aut utilitas introduxit, consuetudines, magis magisque perfectas, et, prouti temporis opportunitas postulare visa fuit, paullisper aliquando immutatas. Vehementer igitur errat, si quis forte putet, inuti-

(1) Habita oratione hanc sententiam explicuit H. C. CRAS, cum jus natur. et gent. docendi munus susciperet vir celeberrimus anno 1790.

tiles hodie et superfluas esse disquisitiones in juris maritimi naturam, et antiquorum recentiorumque populorum circa hanc rem placita, cum scriptam jam legem habeamus, quae etiam in rebus nauticis civibus normam agendorum praecipiat. Etenim, nisi perspecta sit juris nautici natura, quae de eo latae sunt leges fere intelligi nequeunt; de eo vero, probandaene videantur an corrigendae statui prorsus non potest. Deinde scripta haec lex, qua hodie utimur, ex antiquiore lege Gallica fere desumpta est. Illa ex veteribus consuetudinibus, ex variarum gentium, quae maxime probanda videbantur, placitis est conscripta. Unde igitur vel interpretandae vel supplendae etiam Codicis mercaturae erunt leges, si quis juris analogiam aspernetur, antiquas consuetudines contemnet, aliorum placita nihili faciat? Itaque egregie celeberr. EMÉRIGON, *Tr. des asf.* Praef. pag. 15: *les recherches sur l'antiquité de la jurisprudence maritime ne paroîtront pas inutiles aux personnes, qui remarqueront, que ces anciennes doctrines, dont plusieurs sont actuellement hors d'usage, sont cependant le fondement de celles, qui sont en vigueur aujourd'hui; et qu'il est par conséquent difficile de comprendre plusieurs règles de la loi moderne, sans avoir recours à l'ancienne.*

Quae quum ita sint, a quo tempore DE MA-
GIS-

GISTRO NAVIS dicendum constitueram, statim etiam intellexi, id agendum esse, ut, quatenus fieri possit, in singulis rebus, tum ejus habeatur ratio, quod ex ipsa rei natura observandum est, tum vero ne illud omittatur, quod, cum ad juris historiam pertineat, ad ejus interpretationem multum etiam efficere potest. Quod si antiquorum populorum ea fere fuerit ratio, ut (quod egregie observat HEERENUS vir celeberr. *Ideen über Hand. und Verk.*) magis terra merces conveherent et, si qui, vel sponte sua vel locorum situ coacti, navibus ad eas transvehendas uterentur, littora potissimum legerent; fane recentiorum gentium alia prorsus est ratio. Navigandi arte magis excolta, inventisque ejusmodi rebus, quae maris usum longe reddiderunt faciliorem, apud plerasque gentes mercatura, per terram primum agitata, maritima fere facta est omnis. Non igitur mirum, si minor olim fuerit juris maritimi cura, nec dubium, quin maximopere illud hodie sit excolendum.

De jure maritimo Graecorum, imprimis Atheniensium.

Apud Phoenices autem et Carthaginenses, aliquando jus nauticum exstiterit, hodie ignoramus. Nullum, quod sciamus, ejus superest vestigium. Apud Graecos vero, Athenienses

imprimis, jus aliquod maritimum obtinuisse, moribus introductum et scripto jure confirmatum, dubium non est, si quidem apud veteres scriptores haud uno loco memorantur οἱ ἐμπορικὸὶ νόμοι. Cf. DEMOSTHENES *orat. adv. Lacritum princ.* Miramur itaque eos, qui juris nautici historiam tradiderunt, Attici juris mentionem fere omnem omisiste, et operae pretium facturi nobis videntur, si in exponendo hoc jure fusius quodammodo agamus quam Juris Nautici universa quaedam historia postulare videatur.

Reipublicae Athenarum ea fuit conditio, ut in regione parva et parum fertili ingens hominum multitudo fuerit alenda. In bellis, quae gesferunt, inde a Medico, navalibus copiis imprimis nobiles fuere; unde florentis apud eos mercaturae, praesertim maritimae, nobis oritur cogitatio, quae mirificum in modum augetur, ubi, ut diligentius de ea re constet, Graecos scriptores evolvimus. Nam ex sola inspectione orationum, quarum auctor fertur DEMOSTHENES, commercium cum Thracia, cum Ponto, cum Rhodo insula, cum Asia minore, cum Aegypto, cum Sicilia, denique cum remotissima pro iis temporibus urbe Masfilia, intelligitur. Cf. *orat. adv. Apatur*, pag. 579; *adv. Phorm.* pag. 584; *contra Polycl.* pag. 708; *adv. Lacrit.* pag. 591; *contra Dionysf.* p. 739; *contra Zenoth.* p. 575 (1).
In

(1) Usus sum edit. Wolffii. Aur. Allobr. 1607.

In orat. autem *adv. Phorm.* pag. 585, foeneratoris Phoenicis mentio est. Apud XENOPHONTEM vero *de vectig.* pag. 920. *edit. Leuncl.* multi Lydi, Phryges et Syri inter incolas (μετοίκους) memorantur. Is autem universae mercaturae erat favor, ut etiam injuriarum crimine teneretur, qui civi quaestum forenssem, quem tenuiores tantum exercebant, contumeliae causa objiceret. DEMOSTH. *contra Eubul.* Et habebantur etiam, qui res mercatorum procurarent, decem επιμεληταὶ τοῦ ἐμπορίου forte lecti, ad quorum munus tum alia pertinebant, quae ad mercaturam referrentur, tum etiam cura cogendi eos, qui cum frumento in portum appellerent, ut e tribus duas partes in urbem inferrent. SUIDAS *in voce.* DEMOSTH. *in orat. contra Theocr.* pag. 508. Universe autem ita persuasum erat Atheniensibus favore prosequendos esse mercatores et navicularios, ut etiam XENOPHON. *op. laud.* pag. 922, honoratiorem locum (προεδρίαν) in concessibus iis tribuendum putaret. Et dicebat PERICLES sic demum potentissimos evasuros Athenienses, si bello abstinerent, et rem nauticam curarent. Vid. THUCYD. *Hist.* II. 142.

De jure nautico autem observandum imprimis est, summam curam habuisse Athenienses, ut intra breve tempus lites finirentur mercatorum. Testatur hoc DEMOSTH. *adv. Apatur.* pag. 582:

οἱ λήξεις τῶν δικῶν τοῖς ἐμπόροις ἔμμηνοι εἶσιν ἀπὸ τοῦ

βονδρομιάνος μέχρι τοῦ μουνηχιῶνος ἵνα παραχρῆμα τῶν δικαίων τυχόντες ἀνάγωνται. Eo igitur anni tempore, quo navigatio non habebatur, singulis mensibus copia mercatori data est iudicem adeundi; unde etiam POLLUCI *Onom.* VIII, 9. segm. 101. αἱ δίκαι ἐμπορικαὶ ἔμμηνοι dictae sunt, et auctore SYRIANO in *Hermogenem* intra triginta dies actio erat instituenda: νόμος τὸν ἔμπορον εἶσω τριάκοντα ἡμερῶν δικάζεσθαι. Cf. MEURSIUS in *Them. Att.* II, 26. extr. Tempore iudicii jam praeterlapso proponebatur exceptio τῶν χρόνων ἐξηκόντων, ἐν οἷς ἔδει κρίνεσθαι, quam memorat POLLUX VIII, cap. 6, segm. 57. Quo magis autem compellerentur Iudices, ut mercatorum et naviculariorum lites brevi tempore dirimerent, praemio ornari XENOPHON de *Vectig.* cap. 3, pag. 920, ed. Leuncl. volebat eum, ὅς τις δικαιοῦτα καὶ τάχιιστα διαιροῖν τὰ ἀμφίλογα, ὡς μὴ ἀποκωλύεσθαι ἀποπλεῖν τὸν βουλόμενον. Ceterum iudices coram quibus de lite disceptabatur, ab iis quorum mentionem fecimus mercatorum curatoribus diversi, sicut etiam a thesmothesis, qui εἰσάγειν τὰς δίκας ἐμπορικὰς, et apud quos αἱ δίκαι εἶναι dicuntur, dicebantur ναυτοδίκαι (1), apud quos etiam conveniebantur, qui sese injuria pro civibus gererent. Cf. HESYCHIUS et SUIDAS

in

(1) Putat SCHNEIDER ad *Xenophontem de Vectig.* cap. 3. N. 3. locum Nautodiarum deinceps obtinuisse τοὺς ἐπιμελητὰς τοῦ ἐμπορίου.

in voce *ναυτοδίκαι*, et SUIDAS in voce *βάψας*. POL-
LUX, *Onom.* VIII, 10, 126. Sed saepius etiam
ex compromisso arbitrum eligebant partes, qui
vel litem dirimeret vel etiam ad judicem eas
remitteret. Cf. DEMOSTH. *pro Phorm.*

Est autem nobilis praesertim ea Atheniensium
lex, quae, nisi ex scriptis tabulis de contracti-
bus inter navicularios et mercatores constaret, a
limine iudicii repellendum actorem jubebat: *δικαι*
εἶναι τοῖς ναυκλήροις καὶ τοῖς ἐμπόροις τῶν Ἀθήναζε καὶ
τῶν Ἀθήνηθεν συμβολαίων περὶ ὧν ἔν τις συγγραφαί
ἔαν δέ τις παρὰ ταῦτα δικάζεται, μὴ εἰσαγωγίμων εἶναι
τὴν δίκην. Vid. DEMOSTH. *in Zenoth.* pag. 575.
Deponebantur quidem hae tabulae apud fide di-
gnum hominem, qui eas quoties opus erat ex-
hiberet. Cf. DEMOSTH. *adv. Apaturium*, pag.
581. Si tamen unius tantum partis interes-
set, ut aservaretur *syngrapha*, huic ejus curam
facile committebant. Sic instrumenta foeneris
nautici apud foeneratorem ipsum deposita dicun-
tur in oratione LYSIAE *contra Diogitonem*. Vid.
REISKIUS *orat. Graec.* tom. V. pag. 897. Can-
cellatis denique fractisque contractuum tabulis,
impletus vel transactione finitus censebatur con-
tractus; adeoque sine tabulis agenti opponebatur
exceptio. In *orat.* DEMOSTH. *contra Dionysyd.*
pag. 740, cum debitor partem tantum pecuniae
debitae vellet solvere, creditor tabulas rumpe-
re detrectat, ne sic omne jus amittat; sed co-

ram mensario in syngrapha notare vult, quid acceperit atque adeo, quod ad pecuniam acceptam attinet, ἐναντίον τοῦ τραπεζίτου ἄκυρον ποιεῖν τὴν συγγραφήν, *coram mensario irritum facere instrumentum.*

Celebrantur praeterea aliae leges, quae navicularios et mercatores vela facere jubent in locum, quem ab initio pactis initis constituerunt, poenam vero de iis esse sumendam, qui hoc facere neglexerunt: τοὺς ναυκλήρους καὶ τοὺς ἐπιβάτας πλεῖν εἰς ὅτι ἂν συνβῶνται ἐμπόριον. εἰ δὲ μὴ, ταῖς μεγίσταις ζημίαις εἶναι ἐνόχους. DEMOSTH. *contra Dionys.* pag. 739.

Mercatores apud Athenienses distinguuntur fere a naviculariis. Sic *in orat.* DEMOSTHENIS *adversus Zenothemidem* memoratur mercator Atheniensis, qui frumentum Masfiliensi nave transvehendum locaverat. Dicuntur autem saepius ἐπιβάται, quoniam adhuc navem plerumque ipsi conscendebant. Vox vero ναυκλήρος *navicularius* saepius de navium dominis est intelligenda, cum magistri adhuc parva haberetur ratio. Nam vel per se eam exercebant domini, vel servus navi erat praepositus, cujus nulla fuisse videtur potestas, nisi quam expresse concesserat dominus.

In itinere, exorta tempestate aliave necessitate urgente, si ex communi omnium navigantium decreto quaedam merces ejiciendae visae fuissent, quo servarentur reliquae, servatarum mercium

con-

contributione damnum pro rata refarciendum fuisse, facile colligas ex eo, quod in instrumento, quo contractus pecuniae trajectitiae exhibetur, ii, qui pecuniam crediderunt, liberi esse dicuntur ab omni damno, excepto jactu, qui ex communi decreto obtineret. Vid. illud apud DEMOSTH. *contra Lacritum*, pag. 592. Verba sunt: ἀποδώσουσιν οἱ δανεισάμενοι - - - τὸ ἀργύριον - - - ἐντελὲς πλὴν ἐκβολῆς, ἢν ἂν οἱ σύμπλοι ψηφισάμενοι κοῖνη ἐκβάλλωνται. Addunt autem καὶ ἂν τι πολεμίοις ἀποτίσωσι. τῶν ἄλλων ἀπάντων ἐντελὲς, unde patet idem etiam invaluisse de pecunia hostibus piratisve, ne navem depraedarentur, solvenda.

Nulla vero Atheniensium juris nautici pars tam clare ex oratoribus Graecis potest intelligi, atque illa, quae ad foenus nauticum pertinet. Scilicet pecuniae trajectitiae apud Athenienses eadem fere vis fuit et efficacia, quae est hodie contractus *assecurationis*, qui dicitur, ut nempe quis praemio concesso itineris periculum a se in alios convertat. Sed hoc nomine maxime differunt, quod in assecuratione damnum datum refarcitur, in pecunia vero trajectitia, damno non dato, pecunia erogata est restituenda. Unde intelligitur satis festive neque injuria questus esse auctor orat. *adv. Dionysiod.* pag. 738, de parum tuta conditione eorum, qui pecuniam mutuam darent et sibi tantum retinerent τὴν ὁμολογίαν τοῦ ποιῆσαι τὰ δίκαια ἐν γραμματιδίῳ δυοῖν χαλκοῦν

κοῦν ἐνημέρωσ καὶ βιβλιδίω μικρῷ πάνυ. Neque sane difficile erat ejusmodi quid perpetrare, quod *in orat. adv. Zenothem.* pag. 575. Hegestrato et Zenothemidi vitio vertitur, quod pecuniam mutuam non in navis usum vel ad merces commendas, quas navi imponerent, adhibuerint; vel illud quod Phormioni *in orat. contra eum*, pag. 585, objicitur, quod in easdem merces saepius pecuniam nauticam contraxerit. Longe autem abest, ut mutuare pecuniam in navem vel merces licitum tantum fuerit in casu necessitatis; quin, uti indicavimus, ut maris periculum in alium averterent, in faciendis expeditionibus aliorum utebantur pecunia. Sic in *orat. DEMOSTH. adv. Polyclem.* pag. 708. seq. Apollodorus, Pasionis filius, cum e Propontide frumentum in Pontum transferre deberet; mare autem a Byzantinis et Chalcedoniis infestaretur, foenus nauticum contraxit a Sesto inde ad templum Argonautarum et hinc rursus Athenas. In hac autem urbe quam plurimi exstitisse videntur, qui hac ratione foenerando victum sibi quaesiverunt. Apud LYSIAM *in orat. in Diogitonem* REISK. *Orat. Gr.* vol. V, pag. 894, in bonis alicujus recensentur septem talenta et minae 40 in foenus nauticum elocata. Et ipse DEMOSTHENES *in orat. contra Aphobum tutor.* I. pag. 548, inter bona a Patre suo relicta 70 minas pecuniae trajectitiae recenset. Oratione autem

contra Apaturium pag. 579. exhibetur aliquis, qui, cum olim mari sese cum mercibus suis commisisset, mediocribus opibus comparatis, quaestum facere conabatur, eas in foenus nauticum credendo. Et est verisimile mercatores, qui prohibebantur, quominus amplius semet ipsi mari crederent, saepe hac ratione quaestum fecisse, cum, prae ceteris omnia maris pericula callentes, omnium tutissimi, in eam rem crederent. Cum vero lege Atheniensium, quae etiam hoc nomine populum mercatorum spirat, usurarum modus non sit definitus (vid. *LYSIAS contra Theom.* REISKIUS, vol. V, pag. 360.), adeo ut tantummodo disputent VV. DD. an enormes licitae fuerint nec ne (1), intelliguntur eae pro vario subeundo periculo fuisse diversae. In omnibus vero foenoris nautici contractibus haec semper lex scribebatur, ut demum salva re, in
quam

(1) Sunt, qui legem exstitisse putent: *μη λαμβάνειν πολλοὺς τόκους.* Provocant illi ad locum *ULPIANI Grammatici ad orat. Demosth. contra Timocr.* extr. Sed minus recte hoc ex Ulpiani verbis efficitur. Nam cum dicat: *δεῖ κολάζειν ἐκεῖνον εἴ τις διαφθείρει τὸ νόμισμα ἐκεῖνο, ὅπερ ἐστὶ τῆς πόλεως. ἀλλ' οὐκ ἐκεῖνον τὸν διαφθείροντα τὸ τῶν ἰδιωτῶν. εἰσὶ γὰρ καὶ ἰδιωτικοὶ νόμοι, οἷον μὴ λαμβάνειν πολλοὺς τόκους καὶ ἄλλοι τοιοῦτότροποι* significare videtur, illud, quod non deceat magnas usuras exigere et alia hujusmodi, ad privata placita pertinere, quae nulla sanctione publica sunt confirmata et propter quae adeo nemo puniri poterat.

quam credita erat pecunia, haec redderetur: σωβείσης τῆς νεῶς ἀποδοῦναι τὰ χρήματα, Cf. DEMOSTH. *adv. Zenoth.* pag. 575. Neque enim in navem tantum, verum etiam in merces pecunia credebatur. DEMOSTH. *d. l.*; *adv. Phorm.* pag. 585. *Syngrapha in orat. adv. Lacrit.* pag. 592. Quin in hac oratione, pag. 595, mentio est pecuniae concessae ἐπὶ τῷ ναύλῳ τῷ εἰς τὸν πόντον καὶ ἐπὶ τῷ πλοίῳ, et voluit Apollodorus, ut haberet, unde suis nautis solveret, navis instrumenta obligare. DEMOSTH. *contra Polyclen,* pag. 713. Mancipiorum, quae in nave haberentur, simul cum ipsa nave obligatorum, exemplum exhibet oratio *contra Apatur.*, pag. 579 sqq. Credebatur autem pecunia, vel in commeatum tantum, vel in commeatum et reditum simul, εἰς ἑτερόπλουον vel εἰς ἀμφοτερόπλουον. Cf. J. POLLUX, *Onom.* VIII. 12. Οἱ δανείσαντες ἑτερόπλοια memorantur *adv. Phorm.* pag. 587; εἴκοσι μναῖ ἀμφοτερόπλουον εἰς τὸν πόντον, *d. orat.* pag. 585; pecunia foenerata εἰς τὸν πόντον καὶ πάλιν Ἀθήναζε et Ἀθήνηθεν εἰς Αἴγυπτον καὶ ἐξ Αἴγυπτος Ἀθήναζε dicitur *in orat. adv. Lacrit.*, pag. 591. et *contra Dionysod.* pag. 739. Pro debitore, quo firmior quodammodo esset ejus obligatio, interveniebant sponsores (DEMOSTH. *oratt. laudd.*), qui tamen tantum in unum annum de debitorum factis tenebantur, cum lex esset: τὰς ἐγγύας ἐπε-

ἰπτερίους εἶναι *sponsiones esse annuas*. Cf. DEMOSTH. *adv. Apatur.* pag. 582.

Ceterae leges hujus contractus optime intelliguntur ex exemplo contractus foenoris nautici, quod jam laudavimus, cui non absimilia cetera fuisse, quae conficerentur, suspicari licet. In hoc contractu nempe pecunia datur his potissimum legibus:

1. ut nulla alia, quam ipso contractu definita via suscipiatur, in nave certa, cujus magnitudo indicatur;

2. ut in securitatem crediti certae merces in navem imponantur, et, illis exoneratis, in eorum locum aliae ejusdem valoris submittantur;

3. ut in illas merces jus hypothecae habeat creditor, ea lege, ut si calamitas quaedam superveniat, nihil praeter ea quae servata fuerunt sit debitum;

4. ut omne damnum ordinarium (*avarie simple*) ad dominos mercium pertineat;

5. ut contra damnum extraordinarium, quod sponte erat datum (*avarie commune*), five ex communi sententia jactum fit, five hostibus piratisve quaedam summa solvenda fuerit, pro rata minuat summam praestandam;

6. ut debeantur certae usurae nauticae, pro periculo quod in se suscipiunt mutuum dantes;

7. ut intra viginti dies post adventum summa, quae ex contractu debetur, sit solvenda;

8. ut, nisi hoc factum sit, foeneratores jus habeant aliis oppignorandi atque vendendi merces, et nihilominus, quae sic ex mercibus viliori pretio venditis non recuperent, ab ipsis debitoribus ex ceteris bonis repetant;

9. ut contra scripta haec placita nihil omnino valeat; verum ut debitores ad ea exsequenda omnia sua bona terrestria et nautica eadem ratione obligent, qua tenerentur ex re iudicata, cui non essent obsecuti.

Numquam autem pecunia credita superare poterat valorem eorum, quae maris periculo committebantur; neque tamen pro pecunia tantum merces, sed etiam ipsam pecuniam in navem poterant imponere. Arg. *orat.* DEMOST. *in Phorm.* Stipulabatur saepe foenerator, quanti valor mercium imponendarum superare deberet pecuniam creditam *d. orat.* Qui vero minus quam debebat, navi imposuisset, gravissimas subibat poenas. Sic civis Atheniensis, filius ducis bellici, ἐπιδεδανεισμένος ἐκ τοῦ ἐμπορίου πολλὰ χρήματα καὶ τοῖς δανεισαῖς οὐ παράσχων τὰς ὑποθήκας morte punitus dicitur *d. orat.* pag. 591. Constabat autem de mercibus re vera navi impositis ex testimonio mercatorum advocatorum. Etenim πάντες οἱ τὰ ἑτερόπλοια δανειζόμενοι ὅταν ἀποσέλλωνται ἐκ τῶν ἐμπορίων πολλοὺς παρίσανται, ἐπιμαρτυρόμενοι ὅτι τὰ χρήματα ἐπικινδυνεύεται τῷ δανείσαντι. DEMOSTH. *contr. Phorm.* pag. 588. Testes autem adhibeban-

bantur etiam saepius, quando reddita pecunia rumpebantur contractus tabulae. DEMOSTH. *adv. Apatur.* pag. 580.

*De ceterarum gentium mari mediterraneo
adjacentium, Rhodiorum imprimis,
legibus nauticis.*

A legibus Atheniensium maritimis non admodum diversa fuisse ceterorum, qui ad mare mediterraneum habitabant et mercaturam agebant, populorum jura maritima, suspicari licet, tum ex celebri illo commercio, quod inter varias eas gentes intercessisse indicavimus, tum vero etiam ex eo, quod in iis causis, de quibus aliquid ad nostram notitiam pervenit, eandem rationem obtinuisse constat. Pecuniam verbi gratia etiam in aliis locis bene multis in foenus nauticum fuisse elocata *ex oratt. Demosth. citatis* abunde patet, et quid mutuum populorum maritimum commercium valeat, ut una eademque juris nautici ubique obtineat ratio, optime probasse videtur ejus historia recentior. His argumentis accedit, quod apud Rhodios atque Romanos de jactu etiam atque contributione propter jactum, Atheniensium placitis prorsus similia inveniamus, unde inducendum videtur, non admodum diversa apud ceteras hujus temporis gentes maritimas existisse.

Celebratur tamen prae ceteris Jus Navale Rhodiorum. CICERO de Atheniensium et Carthaginiensium in rebus maritimis laude locutus, iis *in orat. pro Lege Manil.* cap. 18., Rhodios subjungit, quorum *disciplinam navalem et gloriam* ad suam usque memoriam remansisse indicat. Horum *navigandi solertiam* laudat GELLIUS, *Noct. Att.* Lib. VII. cap. 3. et *εὐνομίαν καὶ ἐπιμέλειαν πρὸς τὰ ναυτικά* laudibus effert STRABO, Lib. XIV. Add. MEURSIUS *in Rhodo*, I. 17. et 21. Legum hujus Populi mentio est in Digestis et earum fragmentum exhibetur in L. I. ff. *de lege Rhodia de jactu*. An vero leges, quae *Rhodiae* dicuntur, et anno demum 1561. a SCARDIO publici juris sunt factae; deinde anno 1596. cum versione LEUNCLAVII ad calcem Tom. II. *Juris Graeco-Rom. Francofurti* sunt editae; quasque VINNIUS alteri suae *Peckii* editioni anni 1668. adjunxit (1), antiquae leges Rhodiae sint habendae, an Rhodiorum quidem, sed recentioris temporis, an vero collectionem tantum haud satis plenam Graeci cujusdam hominis contineant, disputabant olim viri docti, quorum cum nonnulli tantum de fide hisce legibus habenda subdubitent, nostras CORN. VAN BYN-

(1) Exhibetur etiam in Basilicis, lib. 53. altera harum legum collectio, nempe *jus excerpt. Rhod.* νόμος 'Ροδίων κατ' ἐκλογήν.

BYNKERSHOECK ad l. 9. ff. de leg. Rhod. cap. 8. omnium primus eas suppositas et sequiore aevo confectas probavit; in cujus sententiam plerique deinceps Icti sibi eundem censuerunt. Cf. HEINECCIUS, *Hist. Jur. Rom. et Germ.* I. § 295; AZUNI, *Dr. Mar.* I. 4. 2. EMÉRIGON, *Tr. des Asf.* Praef. pag. 3. BENECKE, *System des Asf. und Bodm. Wesens*, Vol. I. Intr. pag. 3. Neque levia profecto sunt, quae pro hac sententia militant, argumenta. Cap. 15. *Jur. Naut.* jusjurandum evangelicum a naviculariis et vectoribus exigitur. More recentiorum Ictorum, qui de jure Romano Graece scribebant, latina vocabula *faburratus, vestis, fiscus, praeda*, Graecis litteris *σαβούρατος, βέσνη, Φίσκος, πραιδα* exhibentur, et a voce *παραδική*, latina terminatione addita, *παραδικάριος* dicitur. Cf. *Jur. Naut. excerpt.* Cap. 21. 34. 51. et *inscript.* Cap. 14. et 51. — In Cap. 17. *Jur. Naut.* ad ipsam Rhodiorum legem provocant, quasi alienam, cui tantum auctoritas in judiciis esset tributa. Nam cum incipiat caput a verbis *ὁ νόμος κελεύει* et sequatur tum, quid lege jussum sit, additur deinceps, haec ita obtinere *κατὰ τὸν Ῥόδιον νόμον*, certo nisi fallor indicio, legis placito subesse quidem Rhodiorum jura, tamquam fundamentum, verum ipsam legem tamen haud eandem esse ac Rhodiam habendam. Simili autem ratione etiam in seq. capite 18. lex Rhodia laudatur. Praetè-

rea non conveniunt hae Rhodiorum leges cum fragmento in *L. 1. ff. de lege Rhodia* servato. Nam, juxta Cap. 27. 29. 30. et 40. Jur. Naut. excerpti, omne damnum, quod in itinere datum est, communi contributione faciendum est, cum juxta fragmentum citatum demum contributione restituitur, si quid navis levandae causa jactum est (1). Quid quod, HEINECCIO auctore *loco citato*, quae praefatione continentur, cum historia non recte conveniunt? Quod duplex exhibetur collectio, quarum altera *ναυτικὸς νόμος*, altera *νόμος ροδίων ναυτικὸς κατ' ἐκλογὴν ἐκ τοῦ ἰά βιβλίου τῶν Διγέσεων* inscripta est? Quod posterioris partis, Cap. 48. 49. et 50. singula eas habent rubricas, quasi ex Codice quodam et Digestis, in titulos divisas, essent desumptae. Ut enim omitam, tum *Codex*, tum *Digesta*, tum *titulus* vocabula esse latina non graeca, mira res esset de antiquo jure Rhodiorum in Digesta et Codicem, quorum quaeque collectio suos haberet titulos, jam ita pridem cogitare. His vero argumentis

nes-

(1) Et tamen cum GOTHOFREDO existimat ENGELBRECHT, *Corp. Jur. Naut.* Intr. pag. 4. genuinas esse has leges propterea, quod adeo cum Juris Romani placitis conveniant! Quin aliquot abhinc annis ICTUS GALLICUS ISAMBERT contrariam sententiam tuitus est in diario Paris. *Thémis* 1819—1820, 5e livr., de cujus descriptione cons. *Heidelb. Jahrb. der Litt.* Sept. 1821. pag. 392. *Zeitschrift für Gesch. Rechtsw. von Savigny*, B. IV. H. 3. pag. 486.

nescio an addam, quae Cap. 8. *Jur. Rhod. excerpt.* occurrit, distinctionem bonorum in *κίνητα, ἀκίνητα* et *ἀυτοκίνητα*. Etenim pro simplicitate veteris Graecorum Jurisprudentiae verisimile non videtur, jam Rhodios de distinguendis in jure rebus sese moventibus a ceteris bonis mobilibus cogitavisse. Apud ipsos Romanos ICtos rarior ejus mentio est. Vid. tamen L. 1. ff. § 1. *de rei vind.* L. 1. princ. ff. *de aedil. edicto.* L. 47. ff. *de adq. vel. omitt. poss.* L. 93. ff. *de verb. sign.* GAJUS *Inst. Veron.* IV. § 16. Et, posteriorum imperatorum actate, semel ea distinctio occurrit in Const. ZENONIS, semel etiam in rescripto THEODOSII et VALENTINIANI, L. 2. princ. *Cod. de quadr. praescript.* L. 2. *Cod. quando et a quib. quarta.* Saepius vero ea in Constitutionibus JUSTINIANI Imperatoris memoratur. Vid. L. 30. *Cod. de jure dotium,* L. un. § 7. *Cod. de rei uxor. actione,* L. 7. *Cod. de bon. quae lib. in pot. const.* L. 13. *Cod. de serv. et aqua.* L. 49. *Cod. de episc. et cler.* L. 36. *Cod. de donationibus.* L. ult. *Cod. vers. et nemo audeat. de quadr. praescript. coll.* § 1. *Inst. de vi bonorum raptorum.* Nisi fallor igitur a Romanis etiam ICtum demum distingui coeperunt hae rerum mobilium formae, cum hujus rei usum aliquem futurum viderent, (de quo vid. L. 47. ff. *de acq.*

posf.); sequiore autem aevo et Imperatore maxime Justiniano ita factae fuerunt vulgares, ut jam, pro duabus, tres rerum species haberentur, mobiles, immobiles et sese moventes.

Ex quibus igitur hodie petenda est Juris Rhodii notitia, fontes sunt ea Juris Romani et collectionis modo citatae loca, in quibus diserte dicitur, hoc illudve ita secundum leges Rhodiorum esse constitutum, et quidquid praeterea, quod verèor ut multum sit, apud alios scriptores de Rhodiorum jure indicatum sit.

Prioris generis est fragmentum illud PAULI *recept. sentent.* II. 7. quod ex eo refert L. 1. ff. de lege Rhodia de jactu; quo communi contributione farciendum dicitur, quod pro omnibus datum est. Alia vero juris Rhodii placita, τοῦ νόμου τῆς θαλάσσης, L. 9. ff. d. tit., in jus Romanum irreperunt verisimiliter; sed ita Romanum habitum induerunt, ut Rhodiam originem dissimulent. In Cap. autem 17. *Jur. Rhod.* eorum relatum est placitum, quo sancitum est, ut, si contractus esset confectus de pecunia sine creditoris periculo in maritimum iter credenda, foret ille irritus. Denique apud CICERONEM de *Iny.* II. 32. Rhodiorum lex memoratur, de nave rostrata in portum non admittenda. Voluerunt fortasse ita sibi ab improvisis hostium insurrectionibus cavere, vel navibus onerariis prospi-

spicere, quibus alias forte locus haud satis amplus pateret. Verum, utut est, ad jus nauticum proprie ita dictum haec lex non pertinet.

Jus maritimum Romanorum.

Romae Rhodiorum lex, quaecumque tandem illa, si fidem habeamus L. 9. ff. de lege Rhodia recepta jam fuit AUGUSTI aevo, ut vim haberet in omnibus causis juris maritimi, de quibus ipsum jus Romanum nihil statuerat. Cf. etiam DOCIMUS sive DOCIMIUS περί τῶν νόμων Ῥοδίων ναυτικῶν ἐν βιβλίῳ τινὸς νομίμου, quem vide apud VINN. in PECK. edit. anni 1668. Habebant igitur, quod exponerent, cujus placita reciperent ICI Romani, nauticum jus Rhodiorum. Habebant etiam Imperatores in jure constituendo regulas sibi propositas, quas interpretarentur et ad Populi Romani ingenium magis magisque conformarent. Itaque facile fieri potest, ut plura in suos usus converterint et civitate Romana donaverint, quam hodie notum est. De jactu et contributione propter jactum apud Romanos Rhodiorum placita obtinuisse, modo vidimus, et pecuniam trajectitiam non Romanorum esse inventum satis liquet. Praeterea, variis nominibus nobilitata, ea Lege 9. ff. de lege Rhodia, jus Rhodium universe in rebus maritimis vim habuisse, quatenus nullis legibus Romanis esset

contrarium, diximus. De actione exercitoria pos-
 fit quis dubitare, an Praetor eam ex jure Rho-
 dio in Edictum transtulerit. Verum enim vero
 cum, ut supra observavimus, jure Graeco vix
 adhuc discrimen aliquod sit habitum exercito-
 rem inter et magistrum, verisimilius est, il-
 lud inventum fuisse Praetoris, qui, cum ad-
 versus eos, qui insitorem praeposuerant, actio-
 nem concessisset, similiter etiam in exercitores
 eam dandam existimaverit, quippe quorum par
 esset causa. Favent huic nostrae sententiae verba
 ULPIANI *ad edictum*, L. 1. princ. ff. *de exerc.
 act.*: *aequum fuit eum, qui magistrum na-
 vi imposuit teneri, ut tenetur, qui insitorem
 tabernae vel negotio praeposuit, cum major
 sit necessitas contrahendi cum magistro, quam
 insitore.*

Veteres autem Romani ex Agricultura imprimis
 victum quaerebant; mercaturae parum stu-
 debant. Cf. CICERO *de off.* I. 42. MONTES-
 QUIEU, *Grand. et Dec. des Romains passim.*
 Intelligitur hinc, quomodo etiam ars navigandi
 non ita pridem Romae exculta fuerit. Lex XII.
 tabb. nihil continet, quod ad jus nauticum refe-
 ratur, et lege Claudia A. U. C. 536. cautum
 ne quis senator, quive senatoris pater fuisset
*maritimam navem, quae plus quam 300. am-
 phorarum esset, haberet.* Id nempe satis ha-
 bitum ad fructus ex agris vectandos. *Quaes-
 tus*

tus omnis Patribus indecorus visus. Cf. LIVIUS XXI. 63. CICERO *Verr.* V. 18. CUJACIUS *Observ.* VI. 38. Lege autem Julia idem sancitum indicat *L. 3. ff. de vacat. muner.* Ab eo tamen inde tempore, quo bellum etiam mari erat gerendum, et Italia ad unius urbis Romae annonam non amplius sufficiebat, Lex Rhodia auctoritatem nacta est, privilegia naviculariis concessa sunt, eorum corpus extitit et poena est constituta in eos, qui navicularios *publicas species* transferentes inquietare auderent. Cf. *tit. Cod. THEOD. de navicul.* ibique GOTHOFREDUS. *L. 1. Cod. de hered. decur. navicul. L. 3. Cod. de navicul. seu naucl. publ. spec.* SUE-
TONIUS in *Claudio*, Cap. 18 EXT. FRANC. RAMOS DEL MANZANO, ad *tit. Cod. de navic.*, in *Thesauro* MEERM. Tom. VII. pag. 13 sqq. BACHIIUS *Hist. Jurisprud.* III. 1. 4. § 23. Ad summam reipublicae pertinere *navium exercitationem* arbitrati sunt ICI; *L. 1. § 20. ff. de exerc. act. et capitale judicium* in eos, qui *conficiendi naves incognitam ante peritiam Barbaris tradiderint*, decreverunt Imperatores *L. 25. Cod. de poenis.* Non poterat non ita sensim sensimque jus Romanum aliquod Nauticum existere, cujus igitur et praecepta per universum Corpus Juris dispersa sunt.

Disputatur autem a VV. DD., an contractus de avertendo periculo apud Romanos notus jam

fuerit. Vidimus supra, quomodo apud Graecos pecunia trajectitia ejus vicibus fuerit functa. Neque dubitandum videtur, quin saepe eadem ratione etiam Romani se a periculis maris tutiores praestare conati fuerint. Animadvertendum est, cum olim, definito in ceteris contractibus usurarum modo, in trajectitia pecunia infinitas stipulari liceret (PAULUS *Sent. recept.* II. 14. 3). a JUSTINIANO, *L. 26. Cod. de usuris* fuisse sancitum, ut ultra centesimam non constituerentur. Ipse autem assecurationis contractus, qualis hodie apud nos obtinet, ipsis notus fuisse vix videtur. In loco, qui vulgo huc refertur, CICERONIS *Epist. ad div.* II. 17. „*Laodiceae me praedes accepturum arbitror omnis pecuniae publicae, ut et mihi et populo cautum sit sine vecturae periculo,*” praedes intelligi commode possunt illi, qui pecuniam, quam Laodiceae accipiunt, Romae se soluturos promittant (1). Ex loco autem LIVII *Hist.* XXIII. 49. et XXV. 3. et SÜETONII *in Claudio*, Cap. 18., hoc tantum probari potest usu venisse, ut periculum, a privatis alias subeundum, nonnumquam extra ordi-

(1) Non insolita erat haec ratio peragendi ea, quae hodie litteris Cambialibus efficiuntur. Sic apud ISOCRATEM *in orat. mensaria* juvenis nobilis ex Ponto Athenis pecuniam a naviculario accipit, quam hic in Ponto ab ejus Patre repetat.

dinem et in causis, quae ad publicam utilitatem pertinebant, in se fusciperet respublica. Sed hinc non patet, moris fuisse Romae, ut alius ab alio privatim maris tempestatisque periculum fusciperet, Cf. Conf. c. BACKER, *Disf. de peric. quod asfec. est. Gron. 1821. Intr. pag. VI.*

De conditione Juris Romani in medio aevo.

Habet autem Jus Romanum illud fingulare, quod, cum ceterorum populorum leges fere cum fingulis Populis nasci, adolescere, ac deinceps interire soleant, ita hoc contra etiam in locis Imperii Romani, quae barbari occuparunt, vim suam atque auctoritatem exercere perrexit. Quod, si vel ex eo haud incredibile videatur, quod cultiores gentes devictae suis studiis, moribus atque legibus imbuere soleant victores, qui ad eundem cultus gradum nondum pervenerunt, ita profecto dubium nemini esse potest, postquam F. C. VON SAVIGNY edidit egregiam suam *Juris Romani in medio aevo historiam* (1). Accuratius enim ostendit vir summus, tum Roma-

NOS

(1) FRIEDRICH CARL VON SAVIGNY, *Gefchichte des Römischen rechts im mittelalter.* Erster Bänd. Heidelberg, bey MOHR UND ZIMMER, 1815. Zweyter Bänd. Heidelberg, bey MOHR UND WINTER, 1816. Tertium volumen hoc anno prodiit. Conferri potest etiam HUGO, *Gefch. des Röm. rechts seit Justinian*, § 70.

nos ipsos, tum etiam gentes barbaras, Burgundos, Gothos, Francos, Germanos, ceteros, ejusmodi legibus esse usos, quae vel universae vel magna parte ex Juris Romani fontibus essent haustae; Juris autem Romani studium aliis temporibus atque in aliis regionibus magis minusve esse excultum; sed numquam et nullis fere in locis plane esse omisum; ut errent adeo, si qui hodieque putent, PEPONEM atque IRNERIUM primum jus Romanum docuisse, cum, in diripienda urbe Amalphitana repertum, Pandectarum exemplar a Lothario Caesare Pisanis dono esset tributum. Quae quum de universo jure Romano dicenda videantur, fere dubitari nequit, quin etiam in rebus, quae ad mercaturam pertineant, magna fuerit juris Romani vis et efficacia, licet, propter monumentorum altum silentium, perquam difficile sit quodammodo definire, quatenus Romanorum placita etiam deinceps fuerint observata, quatenus vero in desuetudinem abierint, vel prorsus abrogata sint. Historia certe, quod sciam, quemadmodum nullam exhibet legem, qua abrogetur Jus Romanum Nauticum, ita nullius etiam mentionem facit, qua illud confirmetur vel commutetur. Sed, si quae in legum corporibus hujus temporis ejus juris occurrunt vestigia, sunt illa admodum rara (1); quod non ita mi-

(1) In Petri *except. legum Rom.* Lib. III. Cap. 63.
haec

mirum videatur reputantibus, populos Germanicos, qui hisce temporibus magnam Europae partem occupaverant, rerum nauticarum parvam vel nullam fere rationem habuisse. In iis quidem, qui imprimis Germanicam originem referunt, juris Codicibus, nullum prorsus, quod huc referendum sit, juris placitum occurrere, certum habeo, nisi quis propterea juris nautici mentionem fieri affirmet, quoniam lege *Burgund. add. l. 7. lege Salica, tit. 23. lege Bajuvar. tit. 18. Cap. 7. de damno navi dato ex navigii furto* fermo est, aut *lege Visigothorum, lib. 7. tit. 2. l. 18.* poena quadrupli in eos, qui naufragorum bona diripiunt, statuitur. Itaque, me quidem iudice, sicubi rerum nauticarum minor habita sit ratio, ibi etiam magis magisque antiquatae sunt leges Romanae maritimae; sicubi prorsus cessaverit navigatio, ibi in novis, qui ex jure Romano describebantur, Juris Codicibus earum mentio nulla facta est. Atque ita, cum revivisceret et instauraretur mercatura et maxime in mari mediterraneo agi coepisset, vim juris scripti jam amiserant nauticae Romanorum constitutiones, et quidquid deinceps in rebus maritimis obrinuit,

mo.

haec habentur, „ si nautae damnum inter se dederint, hoc „ ad exercitorem non pertinet; sed si quis sit nauta et „ mercator debet illi dari.” Desumpta ea sunt ex lege
 7. § 2. ff. *naut. caup. stab.*

moribus inductum est; de quibus definiri non potest, quatenus ex juris Romani reliquiis, vel contra ex propria gentium indole, atque temporis opportunitatibus tantum originem duxerint.

Cruciatarum expeditionum tempore, adaucto per universam Europam navigandi studio, tum in septentrionali tum in meridionali Europae parte, condita sunt jura nautica.

Exstitit autem maritima illa mercatura, in nonnullis Italiae urbibus atque Gallorum imprimis Masiliae, jam antequam cruciatae expeditiones fusciperentur, et causa, cur hae initio non clasibus susceptae sint, haec tantummodo habenda est, quod vel omnibus non satis persuasum fuerit faciliores atque tutiores vias esse maritimas, vel nondum tantis clasibus instructae fuerint urbes Italiae, quibus immensam illam hominum multitudinem transmitterent, quae prioribus expeditionibus adfuisse dicuntur. Profecto Venetii, Amalfi, Genua, Pifa jam tunc urbes fuisse videntur mercatura, quam in mari mediterraneo agebant, florentissimae. Venetorum imprimis cum Byzantinis frequens fuit commercium. Jam anno 991. privilegium hocce in ea urbe impetraverunt, ut separatos haberent iudices. Atque tum

ex

ex hoc, tum ex eo, quod anno 1188. is jam numerus erat Venetorum Constantinopoli degentium, ut iis 100. triremum clasfis, cujus naves singulae 140. Venetos continerent, instrui potuisset, colligi potest, quanti momenti haecce haberetur mercatura. In orientem etiam dictarum urbium cives mercaturae causa navigare solebant, et, cum sub finem Seculi X per Europam invaluisset sententia, fore ut brevi mundus esset interiturus, Amalfitanorum, Genuensium, Venetorum navibus transvecti sunt omnes illi peregrinantes (*Pelgrims*), qui in terra sacra diem obire avertent. Hinc autem intelligitur, quomodo fieri potuerit, ut jam antequam in primâ expeditione cruciatâ Hierosolyma caperetur, anno 1098. Genuensium naves in Syriam appulerint, seq. anno Venetorum clasfis 200. navium in terram sacram pervenerit, atque deinceps saepius majores minoresve clasces a Genuensibus Venetisque miscae sint (1), donec anno 1190. et 1191. a littoribus Francicis atque Genuensibus ad tertiam expeditionem suscipiendam Reges Franciae atque Angliae navibus profecti sunt, dum Imperator Germaniae antiqua via in orientem pergebat. Ab hocce inde

(1) Sic v. c. anno 1104. et 1108. Genuensium clasces, quarum quaeque 70. erat navium, et anno 1123. Venetorum copiae navales, duce ipso eorum Praefecto summo, in terram sacram profectae sunt.

de tempore navibus semper expeditiones cruciatæ susceptæ sunt.

Quod si itineribus hisce non potuerit non adauca esse harum urbium mercatura, cum major civibus iis data sit opportunitas adeundi non orientem tantum, verum etiam loca in Ponto Euxino atque Alexandriam, iis temporibus totius fere Asiae atque Africae horreum, in primis tamen hoc effecisse videntur, ut nova ratio quaedam existerit inter Septentrionalis atque meridionalis Europae gentes. Nempe cum montium jugum, quod in duas partes Europam proscindit, iudice HEERENO, viro summo, causa fuerit, cur merces olim non ex Italia; verum ex Ponto juxta ripas Danubii per terram in Septentrionalem Europam vectae sint, frequens quidem navigatio inter maris Baltici accolas atque Hollandiæ, Flandriaeque cives fuit, sed fretum Herculeum rarius ab iis frequentatum est. Quominus tamen audirentur Romani Cleri exhortationes ad itinera sacra suscipienda, Alpes impedimento non fuerunt. Bremenses atque Lubecenses cives anno 1190. ordinem Equitum Germanorum in terra sacra instituisse dicuntur. Atque eodem tempore Hollandiae, Gelriaeque comites FLORENS III. et OTTO II. expeditionibus interfuerunt. Cf. WAGENAAR, *Vad. Hist.* II. 273. et 274. Flandriae Comes BOUDEWINUS IX. anno 1204. cum nobilibus quam plurimis, cum Ven-

ne-

netis atque Francis Constantinopolin expugnavit, atque Imperator creatus est. Denique anno 1217. GUILIELMUS Comes Hollandiae atque OTTO II. Episcopus Trajectinus, cruce suscepta, cum 12. navibus profecti sunt, atque post multas difficultates in terram sacram perlati, ibi ad capiendam urbem Damiatam multum contulerunt. Cf. WAGENAAR, *Vad. Hist.* II. 340. sqq. Profecto, nisi jam olim frequens fuisset in septentrione navigatio, cujus memoriam et historia servavit, nondum, quo tempore cruciatae expeditiones erant suscipiendae, longum illud iter totum navibus conficere tentassent. Cf. LUSAC, *la Rich. de la Holl.* Cap. 1. pag. 4 sqq. Deinde vel ex eo, quod de Hollandorum coloniis in Germania seculi XII. referunt tum alii, tum etiam HEEREN, *über die kreuzzüge*, I. 2. 2. suspicari licet commercium aliquod existisse primum inter colonias et metropolin, sed deinceps etiam cum ceteris oppidis regionibusque communicatum. Cruciatas expeditionibus demum inter has regiones easque, quae mari mediterraneo adiacebant, commercium ortum est, unde intelligitur, quo modo separatum aliquod jus nauticum existiterit in septentrionali atque meridionali Europae parte, quae tamen in eo secum invicem conveniunt, quod ex utroque constat, Romani juris principia non prorsus esse obsoleta.

*De juris maritimi, quod vulgo meridionalis
Europae habetur, corpore: il consolato
del mare.*

Est autem operae pretium hoc loco animadvertere, Imperii orientalis infirmitatem haud parum contulisse ad stabiliendas et locupletandas illas Italiae civitates. Etenim primo Pontifices Romani, quo tutiores essent in controversiis, quae inter eos atque Imperatores Byzantinos habebantur, urbibus illis faverunt, auctoritatis Papalis futuris propugnaculis. Deinde saepius opus habebant Imperatores copiis, navalibus in primis, quibus se contra Arabes et Normannos tuerentur. Veneti autem, quoties auxilia illa praestabant, toties majora sibi privilegia atque immunitates stipulabantur, et Byzantini, cum nimiam eorum potestatem in ipsa imperii sede fieri viderent, eam imminuere nulla alia ratione potuerunt, quam similia etiam Genuensibus atque Pisanis concedendo.

Horum privilegiorum ea fuit ratio, ut uni alicui populo concederetur facultas frequentandi omnes, vel certas quasdam Imperii partes, nullis solutis vectigalibus, vel minoribus certe, quam quae ab aliis exigebantur; deinde ut certa loca tribuerentur, ubi ejus populi negotiatores possent habitare; denique, quod in primis observandum

dum hic est, ut permitteretur iis, ut suis legibus viverent suosque magistratus atque iudices eligerent, qui jus dicerent non inter colonos tantum; verum saepe etiam inter colonos et ipsius Imperii subditos.

Ita autem factum est, ut talium populorum, quales erant Veneti et deinceps maxime Genueses atque Pisani, per omnes fere oras maris mediterranei invaluerint leges atque consuetudines; deinde, ut singularum harum gentium maritimarum placita ab omnibus, qui modo commercium cum iis haberent, recte fuerint cognita. Unde mirum non est, si experientia edocti singuli a singulis, quae probanda videbantur, in suas leges receperint, atque ita tandem unum aliquod jus nauticum exstiterit, quod inter omnes illas gentes, quae potissimum mercaturam agebant, vim legis nactum sit. Hujusmodi collectionem placitorum, quae in mari mediterraneo valent, referre videtur illud Juris nautici corpus antiquissimum, quod *Consulatus maris* (1) nuncupari solet.

Ejus

(1) *Il Consolato del mare*. Editiones memorantur *Barcelonae* lingua Hispanorum antiqua anni 1494. 1502. 1592. *Venetis* Italice anni 1549. 1576. 1584. 1599. Exhibentur etiam hae leges in *Codigo de las costumbres maritimas de Barcelona Madrid* 1791.; et in operibus CASAREGIS anni 1740. tom. 3. Gallice verterunt FR. MAISSONY, *Masiliae* 1577., *Aquis Sextiis* 1635. et BOUCHER, *Parisiis* 1808. Etiam EMÉRIGONUS teste VALINO earum versionem inchoave-

Ejus capita XLIII. priora ad jus, quod Valenciae, Hispaniae urbe, obtinuit, recte referunt. Arg. Cap. 1. sqq. Quae sequuntur ad finem usque Cap. 294. ab AZUNIO *Dr. Mar.* I. 4. 8. ex legibus Pisavorum desumpta existimantur. GROTIUS in eo relatas putat constitutiones Imperatorum Graeciae, Alemaniae, regum Francorum, Hispaniae, Syriae, Cypri, item Balearium, Venetorum, Genuensium. Cf. *Jus B. ac P.* III. 1. §. 5. N^o. 4. Nota (e). HEERENUS opere jam laud. *über die kreuzzüge*, pag. 383. ex MARINI *Storia civ. et pol. del comm. de Veneziani* IV. pag. 66. et 67. leges has in Catalonia medio fere seculo XIII. compositas, atque a Venetis Constantinopoli anno 1255. confirmatas putat, quorum exempla secuti deinceps sunt Pisani, Genuenses, ceteri. Alii utrum Italiane an Catalanorum lingua primum conscriptus sit hic Codex, utrum a regibus Arragoniae, an vero ab aliis profectus sit, disputant; aliorum denique alia est opinio; quarum plerasque exponit AZUNI *Dr. Mar.* I. 4. 8., qui recte etiam omnem fidem Praefationi *Consulatus* denegat, quippe quae ea refert, quae nullo modo cum eorum temporum historia conveniunt. Ex in-

spec-
rat. Consul. maris in *Corp. Jur. Naut.* Germanice expressit ENGELBRECHT. Belgica autem editio est cum versione, qua nos usi sumus ABRAM. WESTERVEEN, *Lugd. Bat.* 1704.

specto autem *Consul.* Cap. 75. 76. et 271. leges eas non Hispanicae tantum originis esse colligas; ex eo vero quod illas non *maiores* condidisse, sed *sapientes homines*, qui *multum per orbem terrarum iter fecerunt*, majoribus earum auctores existisse, dicuntur, jus ab aliis acceptum, ab aliis deinceps explicatum te inspicere putes. Cf. Cap. I. 269. et 288. In hac autem opinione ipsa scriptionis ratio lectorem confirmat. Nam Capita 63. 66. 69. 76. 129. 141. 155. 209. 239. tantum explicandis inserviunt proxime praecedentibus Capitibus 62. 65. 68. 75. 128. 140. 154. 208. 238. Sed non necessario unius tantum legum Codicis explicationem exhibet *Conf. Maris*. Fortasse plures leges diversarum civitatum eo continentur. Sic pateat ratio, cur e regione sibi opposita sint Cap. 82. et 83., horum utrumque a Cap. 100. diversum sit, et non convenient inter se Capita 125. et 126. — Ex eo autem, quod VERWERUS librum aliquem Suecica lingua manu exaratum inspexit, qui eadem fere, quae *Conf. Mar.* continere videbatur placita, sed concinniore, accuratiore, et legibus convenientiore stylo scriptus, atque, uti in extrema MS. parte indicatum est, anno 1522. Romae descriptus, ingeniose magis conijcere, quam rite probare quis potest, leges hasce authenticum esse legum Wisbicensium exemplum, quod Romam ex sep-

tentrionali parte Europae asportaverint monachi
 et sacerdotes, qui quaecumque splendida et il-
 lustria apud diversas gentes reperiebant, Romam
 ferre solerent. Monachos enim et sacerdotes
homines illos sapientes dici suspicatur, quorum
 in *Conf. Mar.* mentio est, adeoque ipsum *Con-*
sulatum ex veris legibus Wisbicensibus defum-
 tum. Cf. VERWER, *Ned. Seer.* pag. 42. sqq.
 Jacturam profecto fecit Juris maritimi scientia,
 quod Suecicus ille libellus a VERWERO non ac-
 curatius potuit perlegi, neque alia ratione ho-
 die aliquid de eo constet. Ut hodie exstat *Conf.*
Maris mercaturae in mare mediterraneo rationem
 inprimis habet et Hispaniae, Africae septentrio-
 nalis, atque Orientis (*de levant*) mentionem facit;
 sed notum est, eos, qui aliorum jura mutuaban-
 tur, suarum urbium et regionum nomina in aliarum
 locum substituere fuisse solitos. Qua propter
 non ex hac observatione sola originem ex maris
 mediterranei regionibus probari putamus. Et uni-
 verse intelligitur, quam parva fides habenda sit
 ejusmodi argumentis, quae ad definiendam le-
 gum originem ex locorum in iis memoratorum
 nominibus petuntur.

De lege Gallica antiqua Rôle d'Oleron.

Est autem haec mutandorum nominum con-
 suetudo etiam vel praecipua causa, cur in *legi-*
bus

bus Uliaricis five *Oleronticis* nesciamus, utrum desumptae sint ex ea legum Wisbicensium dictarum parte, quae cum iis convenit, an vero potius Gallicae originis sint habendae. Sita autem est insula, quae PLINIO, *Hist. Nat.* IV. 19. *Uliarum*, Gallis *Oleron* dicitur, opportuno loco, juxta littus Galliae, haud procul ab ostio Garumnae fluvii, qui Bordigalam urbem praeterlabitur. Mercatura florenti huic insulae hasce leges dedisse dicitur Eleonora, quae Ducis nomine ei regioni praefuit, ab itinere cruciato reversa. Auctae perhibentur ab ejus filio RICHARDO I. Harum legum articuli 22. priores, mutatis urbium et locorum nominibus, eadem fere continent, quae art. 13. ad 37. Juris Wisbicensis, solo art. 25. excepto. Cf. KURICKE *ad Jus. Mar. Hans.* inter *Scriptores de jure nautico*, quos edidit HEINECCIUS, 4^o. 1740. pag. 681. Sequitur ergo harum legum alteram ab altera originem ducere, vel utramque ex ejusdem populi placitis esse descriptam. ADR. VERWERUS, postquam, pag. 5. *Ned. Seer.* art. 13. ad 37. *legg. Wisb.* sententias *Damicas Vonnissen van Dammé*, atque adeo jus maritimum Hollandiae meridionalis continere significaverat, leges has Oleronticas hinc desumptas, five versas potius ad verbum, indicat, omisso propter difficultatem intellectus articulo 25. Verum enim vero fatendum videtur, nonnulla rectius legibus Gallicis non lon-

ge a Bordigala latis, quam Belgicis convenire statutis. Quis non existimet, si de nave vino oneranda sermo est, rectius in lege Uliarica art. II. urbis vicinae Bordigalae, vini feracissimae, quam in Jure Wisbicensi art. 23. urbis Clausularum (*ter Sluise*) fieri mentionem? Quis ex collatis art. 8. leg. Oler. et art. 20. leg. Wisb. non suspicetur, hanc ex illa esse expressam? Nam Gallice rectius dices: *il arrive que la tourmente le prend*, quam Belgice *het gevalt dat hem torment toecomt van der zee* (1). At non ejusmodi tamen sunt haec argumenta, quae litem in favorem Galliae decidant. Nam etiam Clausulis in Daniam, Germaniam vel Norvegiam vinum transvehi solebat et in sermonem Belgicum exterorum populorum vocabula saepe esse translata, nimis docet etiam linguae nostrae hodierna conditio. Reperiuntur hae leges commentario illustratae in CLAIRACI libro, cui titulus *Us et Coutumes de la mer*. Earum versionem Germanicam exhibet ENGELBRECHT in *Corp. Jur. Naut.* pag. 39.

Jus

(1) Sic VERWER in libro jam saepius citato *Ned. Seer.* pag. 9. huncce articulum expressit. Sed in vetere libello Belgico inscripto, *'t Boeck der Zeerechten*, Harlingae 1646. legimus: *het gevalt dat met stormende wint overvalten wert.*

Jus Wisbicense.

Pari igitur fere cum hocce jure, cum de primogenitura lis est, leges Wisbiceses five Wisbuenfes inscriptae, ambulant pasfu. Continent illae procul dubio collectionem ex pluribus partibus conflatam. Duodecim articulos priores veras VV. DD. putant leges Wisbiceses, ita a Visbia five Wisbeca, insulae in mare Baltico Gothlandiae, opibus olim affluente, oppido nuncupatas, et memorantur etiam in hac parte Maris Baltici loca, quorum alibi lex nusquam meminit. *Wb. Z.* art. 6. et 8. Quae sequitur ea pars est, quae cum jure Uliarico fere convenit. Complectitur ea articulos 13. ad 37. et in MSS., quibus usus est VERWERUS, in quibus 12. art. priores non inveniebantur, inscribitur: *dit syn die vonnisfen van den Waterrechte ten Damme in Vlaenderen.* Denique art. 37. ad 71. legem potissimum Hollandiae septentrionalis continere dicuntur et in MSS. VERWERIANIS inscribebantur: *dit is die ordinancie, die de Scippers en de Coopluden met malkanderen begheren van sciprecht.* Articulos autem 71. et 72. ad nostras leges non pertinere existimat VERWERUS, cum in MSS. suis non exstarent et altero, quae art. 1., altero, quae art. 48. jam habet, iterantur tantum. Certe, quo magis

posteriores hasce partes distinguas, multa faciunt :

1. fides MSS., quibus usum se affirmat VERWER, quae confirmatur etiam eo, quod in aliis quoque Juris Wisbicensis editionibus, quae post art. 36. sequuntur, separata inscriptione munita sunt. Cf. *Boeck der Zeerechten, Harlingae* 1646;

2. memorata semper in priore parte urbs Clausulae, quae portus erat Dami eaque oppida, cum quibus Flandria regio imprimis commercium habebat, et contra indicata in altera parte urbs Amstelodamum aut Enchusa aliaque Septentrionalis Hollandiae loca, cum quibus illae potissimum mercaturam agunt; adeo ut prior pars commercium versus occidentem, haec vero illud versus orientem imprimis spectet;

3. in altera parte saepe eadem sancita, quae in priore jam sunt exposita, vel etiam ea in diversis hisce partibus obvia, quae simul consistere nequeunt. Illud ex collatis art. 16. et 37.; 18. et 43.; 21. et 39.; 27. et 68.; 35. et 41.; hoc vero ex comparatis art. 20. et 38.; 28. § 2. et 50. abunde patet.

Ad probandum autem non veras hasce leges esse Wisbicensis nonnihil etiam efficit defectus exemplorum in ea ipsa lingua, in qua primum conscriptae perhibentur; quem fuisse jam suo tempore testatur JOH. HADORPHIUS, cum anno

1689.

1689. editionem Suecicam comparans, nullum exemplum authenticum se invenire potuisse prodatur, et deinceps addat *versionem* Suecicam extare anni 1549. et editionem Belgicam Hafniae 1505.; aliam in Hollandia 1532.; aliam Londini 1536.; aliam denique Harlingae 1646. Nempe eorum, quae magna parte in Belgio primum exstiterant, aliis linguis editiones, Belgicis antiquiores, adesse vix poterant. Post Hafniensem illam editionem legibus hisce nauticis primum impositum fuisse Wisbicensium nomen suspicatur VERWERUS ex praemissis 12. art. Wisbicensibus et neglecta inter ceteras partes distinctione. Cf. VERWER, *Ned. Seer.* pag. 42. sqq.

De vi et efficacia harum legum aliisque Juris Corporibus, quae ad haec tempora sunt referenda.

Est difficile omnino, seu potius fieri prorsus nequit, ut, quibus regionibus omnium harum legum vis et efficacia circumscripta fuerit, accurate definiamus. Neque mirum hoc, cum, uti vidimus, incerta sit plerumque origo juris, incertus, a quo jura condita sint, legislator, incertum denique tempus ipsum, quo exstiterint leges singulae. Ad nostrum propositum animadvertisse sufficiat, leges Consulatus vim maxime habuisse in Meridionali, leges Uliaricas in Occidentali, denique leges Wisbicensis in Septen-

trionali Europae parte. Conf. tamen KURICKE *ad Inscript. Jur. Mar. Hansf.* — De Consulatu Maris quidem affirmat ENGELBRECHT in *Intr. ad Corp. Jur. Naut.* ei tanquam fundamento impositum esse Jus Maritimum Franco-Galorum; tum et eas leges hodieque vim juris in Italia obtinere et Hispanos atque Anglos ex hoc fonte maxima parte suas leges hausisse. Cf. VINNIUS ad PECKIUM ad *tit. Dig. et Cod. de re Nautica*, pag. 190.

Praeter haec antiquissima *Masiliensium* etiam celebrantur *Jura* et *Tabula Amalfitana*, quae tamen, nisi fortasse partem hodie efficiant Consulatus Maris ad nostram aetatem non pervenerunt. Cf. AZUNI *Dr. Mar.* I. 4. art. 9. et 12. ENGELBRECHT, *Corp. Jur. Naut.* Einl. pag. 6. et 7. EMÉRIGON, *Tr. des Asf. in Praef.* Memorant praeterea scriptores nonnulli Jus maritimum oppidi in Zelandia *Westkappelle*; verum eosdem legum Wisbuensium articulos hoc jus continet, quos VERWERUS jus Damicum vocat, atque in Hollandia meridionali vim habuisse existimat. BOXHORNIIUS in *Cronico Zelandiae*, pag. 276. sqq. harum legum meminit. Neque aliud tradit SMALLEGANGE, *Nieuwe Cronyk van Zeeland*, fol. 623. qui etiam ipse eas in MS. vidit et in Opere laudato totas expresit. Observandum autem est, eas inscriptas esse *EXTRACT uyt de Zeerechten, dien men gewoon is tot West-*

Westcapelle te gebruicken, cum tamen easdem res, sed in 26. articulos digestas, contineant, quae apud VERWERUM 24. articulis Juris Damici continentur. Ceterum utramque collectionem, tum eam, quae Hollandiae Septentrionalis habetur propria, tum etiam, quam ad Hollandiam meridionalem et Zelandiam referunt, exhibet etiam VAN LEEUWEN, *Bat. Illust.* Parte I. Cap. 3. pag. 137. sqq.

Observatio de contractu assecurationis hoc fere tempore invalescente.

Animadvertendum est hoc loco praedictarum legum conditarum tempore primum invaluisse Contractum *Assecurationis*, licet ejus vestigia in legibus hucusque enumeratis nulla inveniantur. Nam art. 67. legg. Wisb., ad quem nonnulli provocant, probare nequit, earum conditores de eo cogitasse (1). Sed fuit anno 1310.
Bru-

(1) Verba hujus art. sunt apud VERWERUM: *waer 't sake dat de schipper soude borge setten voor dat schip; soo wære de reeder schuldig borge te setten voor des schippers lyf*, quae si conferamus cum proxime praecedentibus art. 66. *waer 't sake dat hy wat aen 't schip vertimmerde of tot des scheepsbehoef wat kogte: dat souden sy betalen penningsbroeder*; optime eum articulum ita explicabimus, si dicamus, cum in super. art. dictum fuit, impensas a magistro factas pro rata parte ab exercitoribus esse praestandas,
nunc

Brugis publica auctoritate constituta societas, quae merces, quae sive maritimo, sive alio tubescent periculo, pro certo praemio, suo periculo esse juberent, additis etiam legibus, quas mercatores iique, qui *assecuratores* dicebantur, observarent (1). Cum vero diu haec societas Brugenſis exſtiterit, antequam ullam apud alias gentes hujus Contractus mentionem fieri videmus, jure meritoque, nostris regionibus laudem vindicare videmur inventi, quod, quantum ad promovendam mercaturam maritimam contulerit, satis praedicari non potest. Neque vana est observatio Conf. c. BACKER, *in disſ. de peric. quod assec. est.* Intr. pag. XI., confirmari hanc sententiam etiam eo, quod nostris moribus convenientius sit, ea instituere, quae imprimis prudentiae sunt et cautiones continent, quibus tutior et magis securus sit mercator, quam Italorum, quibus prudentia illa, quae in cavendis periculis consistit, minus videtur propria. Et hodieque alius plane generis sunt *assecurationes*
apud

nunc simili ratione sermonem esse de communicando periculo, quod ex fidejussione, quam praestare debuit magister, hic haberet.

(1) *Cronyke van Vlaenderen*, Cap. XI. pag. 462.: *de kamer van versfekinghe, by de welke een ieder zyne koopmanschappen, dewelke op de Zee of ergens in gevaer waeren, dede versfeken, mits eenige crosen by 't handerd, gelyk nog in gebruik is, daer voren te betaelen.*

apud Italos, atque apud ceteros plerosque Europae populos. Nam cum alias damnum tantum hoc contractu avertere sit licitum, apud Italos contra etiam de lucro sperato in eo agi potest, quae forma potius sponſio quaedam, quam aſſecuratio dicenda eſt. Cf. BENECKE, *Syst. des Aſſec. und Bodm. Weſens.* Vol. I. 2. 5. pag. 295.

*Apud ſingulas gentes imprimis in Patria
noſtra varia edicta et placita circa
Jus maritimum eduntur.*

Coepit autem deinceps juris nautici incerta ratio magis magisque ſcriptam aliquam legem efflagitare. Itaque ſingulae civitates mercatura florentes ſibi jura ſcribere coeperunt, et ſtatuta circa rem nauticam urbis Hamburgi anni 1276., Lubecae anni 1299., urbis Bremeniſis anni 1433. et 1533.; PETRI IV. deinde, regis Arragoniae, de jure nautico edictum anni 1340.; ſtatutum urbis Barcelonae anni 1435., Rigae anni 1542., urbis Florentiae anni 1512., 1523., 1526. et 1528., aliaeque plura viam ſtraverunt, qua recentiores legiſtatores incederent. Exſtant autem hae leges in *Corp. Jur. Naut.* ENGELBRECHTI.

Civitates Hanſeaticae interea inde ab anno 1241. communi foedere junctae, cum huc uſque ſecundum mores antiquos atque ſingularum

ur-

urbium placita vixissent, de condenda lege nautica ex consilio communi cogitare coeperunt, quin anno 1591. in publico Lubecae habito conventu, Jus maritimum aliquod in 59. articulos digestum comprobarunt, quod anno proxime sequenti typis fuit expressum. Leges suas recensuerunt deinceps, auxerunt et in titulos dispersiti sunt anno 1614. Et haec quidem juris maritimi Hanscatici est editio, ad quam commentarium scripsit R. KURICKE; priorem illam *Corpori Jur. Naut.* inseruit ENGELBRECHTUS et Gallice expressit CLAIRACUS in libro suo *les Us et Cout. de la mer.*

In patria CAROLUS V. Imp. ex jure Wisbicensi et urbium Antverpiae et Amstelodami consuetudinibus legem componi curavit, quam die 19. mens. Julii anni 1557. promulgavit titulo: *Ordonnantie, statuit ende nieuw edict op het saict van der Seevaerte. Gr. Placaatb.,* Vol. I. fol. 782. Aliud enim edictum jam anno 1549. proposuerat, quod novo hocce amplificatum et correctum est. Filius autem ejus, ultimus Hollandiae Comes, deinde die 31. mens. Oct. a. 1563. legem edidit inscriptam: *nader Ordonnantie statuit ende eeuwich edict op het saict van der Seevaerte. Gr. Pl. I. fol. 796.* Haec igitur jura in nostra patria vim habuerunt simul cum urbium singularum placitis magis particularibus, et juribus illis antiquioribus Wisbicensibus

bus ceterisque consuetudinibus, quatenus iis nova lege non erat abrogatum. Post latam autem legem Philippicam nulla deinceps lex de jure maritimo promulgata est, quae in Belgio universo vim habuit. Nam quod Dux ALVAE die 20. Jan. 1570. edidit: *Bevel over 't stuck van Assecurantie* (*Gr. Pl. I. fol. 828.*), ejus auctoritatem agnoscere noluerunt Proceres; quamquam urbs Amstelodamum magnam partem suam Ordinationem *de Assecuratione et Avariis* a. 1598. ex hoc Ducis ALVAE decreto desumpsit. Amstelodami exemplum, editis legibus nauticis, a. 1600. secutum est Medioburgum et deinde a. 1604. etiam Rotærodamum. *Gr. Pl. fol. 858. et 866.* Hujus vero urbis laudibus suis inclita est Ordin. a. 1721., cujus in primis rationem propterea habendam censebant Tresviri, quibus, Ludovico Rege imperante, a. 1808. cura novum juris nautici codicem conficiendi erat mandata. Ceterum nova rerum publicarum conversione, etiam horum jure consultorum conamina, Belgis Belgicas et suis moribus aptas leges nauticas procurandi, irrita fuerunt.

In Gallia leges nauticae promulgantur cum nostris deinceps communicatae.

Verfabantur ita seculo decimo septimo in ea conditione tum Galli, tum ceteri etiam Europae
po-

populi, ut longe facilior jam constituendi novi alicujus juris iis data sit opportunitas, praesertim cum post QUINTINI WEYTZEN Zelandi (1) exteris etiam notissimum tractatum de avariis et scriptionem Gallicam, suis meritis non destitutam, cui titulus *le Guidon de la mer*, leges apud Belgas et Germanos latae doctorum virorum diligentiam inprimis excitasent, quorum scriptis editis longe plenior reddita est juris maritimi notitia. Gnaviter usus est hac opportunitate Gallorum Rex LUDOVICUS XIV., per omnem Europam mittens legatos, qui undique jura maritima et doctorum virorum sententias conquirerent, ut, quam perfectissimam legem proponeret. Cf. VALIN *in Praef. Comment. ad Ordin.* 1681. ENGELBRECHT *C. J. N. Einl.* pag. 18. Itaque venit etiam in Hollandiam legatus, qui cum VERWERO nostro de nonnullis ad hanc rem pertinentibus rebus egit; Cf. ipse VERWER, *Ned.*

(1) QUINTYN WEYTZEN, Zelandus, in Curia suprema, quae Hagae Comitum est, Senator, obiit a. 1565., adeoque biennio post latam legem Philippicam. Videtur autem libellum suum *van Avaryen* ante ejus legis promulgationem conscripsisse. Nam §. 22. consuetudo memoratur, ea lege abrogata, et quae §. 34. exponuntur minime cum *art. 6. van Schipbr.* conveniunt. Belgice saepe prodiit etiam cum notis SIM. VAN LEEUWEN. CASAREGIS eum tom. III. oper. Latino Sermone praefixit cum notis s. VAN LEEUWEN et M. DE VICQ. Denique etiam gallice versus est.

Ned. Seer. pag. 175. sqq. Lata deinde haec lex est anno 1681. et inscripta *Ordonnance de la marine*. Prouti autem mos erat in Gallia, ut singularum Provinciarum Parlamenta, quae dicebantur, generali lege (*réglement*) jura interpretarentur litesque tollerent, non potuit non lapsu temporis discrimen aliquod inter singularum provinciarum jura oriri, quae nonnumquam edicto regis corrigerentur. Sublata autem est omnis juris diversitas deinceps, cum a Kal. Jan. anni 1808. in Gallia vim habuit novus Codex juris mercaturae, NAPOLEONTIS auctoritate confectus. Huic autem Codici aequae atque cetero juri gallico etiam in patria vis legis tributa est, quam hodieque, dum novos Codices expectamus, retinet. Liber autem alter hujus Codicis, jus maritimum continens, repetita et nonnumquam magis explicata complectitur prioris legis anni 1681. placita, unde ejus, quod de omnium harum legum nexu et communi fere origine diximus, magis etiam intelligitur veritas.

De jure maritimo ceterarum Europae gentium.

Complectitur autem *Corpus juris Nautici* ENGELBRECHTI etiam jus aliquod Danicum, quod anno 1561. editum perhibetur. Genuae et Venetiis

tiis initio seculi XVII. jam leges de assecurationibus promulgatae videntur, et in hacce urbe anno 1786. Codex juris mercatorii est editus. Eodem fere tempore, quo antiqua Genuensium et Venetorum statuta, etiam in Suecia de rebus nauticis edicta sunt proposita, quae collecta sunt et inscripta *Legisterium Sueciae*. Sed anno 1667. CAROLUS XI. Rex in 8. titulos divisum jus nauticum edidit; de assecurationibus autem et avariis lex etiam est anni 1750. Anno deinde 1683. Rex Daniae CHRISTIANUS V. Juris Codicem subditis praebuit, qui libro quarto rem nauticam complectitur et adhuc juris vim obtinet, licet universus hic Codex ita multis novis edictis deinceps auctus est, ut teste J. MEERMANNO, *Ber. omtr. het Noord*. Vol. I. pag. 270. jam anno 1804. sub censum revocaretur. Urbis Hamburgi leges maritimae post vetustissimas illas, quas supra jam memoravimus, in statutis urbis anni 1603. sunt exhibitae; sed anno 1731. *de assecurationibus* edictum ibi promulgatum est, quod postea etiam Lubecae invaluit. In Borussia anno 1727. Jus aliquod nauticum est conditum, quod a doctis laudatur, verum in eo juris corpore anni 1794.; quod *das allg. Preussf. Landrecht* dicitur, et cujus nova atque auctior editio anno 1803. publica auctoritate est confecta, Liber II. tit. 8. jus nauticum quod etiam hodie obtinet, complectitur.

In Russia celeberrima Imperatrix CATHARINA anno 1781. leges nauticas componit curavit (1) quae, quoties quaestio vertitur de qua silent, suppleantur jure Boruscico, quod longe plurimos casus complectitur. In Hispania praeter antiquas ALPHONSI IX. et FERDINANDI atque ISABELLAE legum collectiones, Consulatam Maris atque urbis Bilbao legem nauticam, anno 1796. edita est Madriti, *Ordenanza de Bilbao*, secundum quam in Hispania superiore jus dici solet, quamque viri docti laudibus efferunt. In Austria edictum aliquod MARIAE THERESIAE anni 1774. obtinere dicunt; Neapoli vero collectio edictorum CAROLI III. anni 1759. olim juris habuit auctoritatem, donec deinceps Codex mercaturae Gallicus ejus locum occupaverit. At vero in Anglia nullum jus nauticum universonum valet, sed consuetudines et edicta de singulis ejus partibus regunt omnia. Vid. AZUNI *Dr. Mar.* Vol. I. Cap. 4. art. 14. ad 18. pag. 462. ad 497. ENGELBRECHT *Corp. Jur. Naut.* Introd. JACOBSEN *Seer. des Fried. und des Krieg.* anni 1815. Intr. pag. XLI. sqq.

CA-

(1) *Russ. Kaiserl. ordnung der Handelschiffahrt auf flüssen seen und meeren, übersetzt von C. G. ARNDT, St. Petersb. bey PLÜCHART und Comp. 1812.*



CAPUT PRIMUM.

DE UNIVERSA OFFICII MAGISTRI NAVIS
RATIONE.

De Magistro navis ejusque officiis dicturis, de Exercitoribus quaedam praemittenda nobis visa sunt, quo rectius deinceps, quis sit Magister, qualis cum eo contrahatur contractus, circa quas res versetur ejus officium, et quo modo ex rebus ab eo gestis teneantur Exercitores, intelligatur.

§. I. *De Exercitoribus et juris vinculo,
quo inter se juncti sunt.*

Definitur exercitor ab **ULPIANO** in l. 1. §. 15. ff. de exerc. act. „ ad quem obventiones „ et reditus omnes perveniunt, five is dominus „ navis fit, five a domino navem per averfio- „ nem conduxerit.” Dicebantur olim apud nos- trates *de Schcepsvrienden*, deinde atque etiam hodie *de Reeders*. Quod autem in *Cod. Merc.*

vocentur *les propriétaires du navire*, non illud ita accipiendum est vocabulum, quasi, si plures a domino navem in aliquod tempus uno pretio conducant, ei magistrum praeficiant, atque omnes expensas in expeditionem faciant, ad illos non referenda videantur, quae lex de his personis statuit; sed dicendum Franco-Gallos, ex eo quod plerumque fit, *navium dominos* appellasse exercitores.

Intercedit autem inter exercitores invicem *Societas quaedam legalis*, qua tenentur illi omnes, ad quos portio quaedam unius pluriumve navium pertinet, ut pro rata cujusque parte, communi consilio, navis administrationi prospiciant, atque lucrum damnumque secum invicem communicent. Cf. *Pr. Landrecht*, Parte 2. Tit. 8. §. 1426. et 1427.

Diversum quid admodum est hicce contractus a vulgari Societate, etiam ejusmodi, quae mercaturae gratia constituitur; quin, qui caput quasi efficit et fundamentum omnis Societatis contractus, consensus, animusque sese certis tantum personis obligandi, in navium exercitatione non semper adest. Nam potest alius atque alius, certam quandam alicujus navis portionem emendo, ceteris exercitoribus derepente existere socius. In voluntaria vero Societate socius mihi esse non potest, quem ego socium esse nolui. L. 19. coll. l. 20. 21. 22. 31. et 33. ff. *pro Socio*.

L. 47. ff. de R. J. (1) Praeterea cum in ceteris Societatibus explorati juris fit, altero Sociorum prohibente, in re communi fieri nihil posse, cum prohibendi socio magis competat jus quam faciendi. L. 28. ff. comm. divid. L. 27. §. 1. de serv. praed. L. 11. ff. si serv. vind.; ita contra nihil certius est, quam majorem partem exercitorum obligare semper minorem. Major autem haec pars non pro numero personarum, sed pro majore aut minore parte navis, quae ad quemque pertinet, est definienda. Conf. Mar. Cap. 48. Ordonn. 1681. art. 5. des propriét. C. de C. art. 220. Pr. Landr. II. 8. §. 1428. Hisce nominibus, quibus a ceteris societatibus differt, accedit, quod sociorum morte non extinguatur, sed, aequae atque de emptoribus jam dictum est, ita etiam heredes ceterique jus habentes in locum auctorum suorum succedant (2).
Ne-

(1) Jure Borus, quominus hoc fieret, cautum est quodammodo, singulis exercitoribus concessio jure προτιμήσεως. Pr. Landr. II. 8. §. 1437. ad §. 1448. Legibus autem Rusficis constitutum plane est, ne, invitis ceteris, suam portionem cederet venderetve exercitor; quod si factum fuisset aequo pretio eam illi redimerent, ne socium haberent, quem socium esse noluerunt. Rusf. Scer. art. 160.

(2) Habet hoc exercitoria societas quodammodo commune cum Romanorum societatibus vectigalium; verum hoc imprimis interest, quod in iis tantum inter socios superstites ipso jure remanserit societates, cum heres demum
in

Neque aliud dicendum est de ea ratione solvendi societatem, qua quis ceteris sociis praesentibus, non intempestive neque callide, indicat, se nolle amplius, ut societas consistat. Nam tenendum diligenter est hoc principium, *exercitionem* societatem esse aliquam, quae non expressa voluntate quorundam hominum; sed ex vi legis est constituta, cui se submisisse videntur, quicumque sibi partem in ejusmodi societatibus emant. Atque observandum est universe, nullam omnino personatum, sed simpliciter juris haberi rationem, quod quisque habet propterea, quod ex justo aliquo titulo portionem acquisierit. Qui portionem aliquam in nave suam esse probat, jus habet ea omnia a sociis petendi, quae apud eos adhuc ex communi causa sunt deposita; sed tenetur etiam ad solvenda ea, quae singuli jus habentes adhuc conferre debent societati. Quod si ita vel nimium lucrum habeat, vel damnum aliquod praeter aequitatem is patiatur, est ea lis ipsi agenda cum auctore suae partis, et secundum pacta cum eo inita definienda, ad ceteros socios haec nullo modo pertinent. Respiciunt tantum illi, quis titulo instructus sit, quo certa

por-

in defuncti socii locum successerit *si adscitus* fuisset. L. 59. Pr. L. 63, §. 8. ff. *pro Socio*, qua de re conf. omnino JANUS A COSTA ad §. 5. *Inst. de Societ.* Add. VINN. *ibid.*; SCHULT. ad *CAJ. Inst. Epit.* II. 6. 17. *CUJAC. Obs.* X. 25.

portio (navis tribuitur; hunc ex vi legis socium habent; huic reliqua solvunt; ab hoc impensas pro parte repetunt.

Cum communione simplici non plane convenire legalem hanc societatem, patet imprimis ex eo, quod non nascatur ex ea actio *communi dividundo*, ad id tendens, ut, vel nolentibus ceteris omnibus jus habentibus, ad petitionem unius, res, quae communis est, dividatur, etiam, si res dividi non possit, admisa a iudice licitatione L. 3. ff. *comm. divid.* L. 22. §. 1. ff. *famil. creisc.* L. 1. *Cod. comm. divid.* Nam habet navis exercitium hoc fere singulare, quod demum, postulante dimidia parte exercitorum, ceteri ad patiendum navis venditionem teneantur *Ord. 1681. art. 6. des propr. C. de C. art. 220.* Secus tamen est jure Borusico, quo, confecto itinere, etiam ad singulorum exercitorum petitionem navis vendenda est. *Pr. Landr. II. 8. §. 1433. et 1436.*

Rectius igitur dicas ex exercitorum quasi contractu nasci *utilem* quandam actionem *pro socio*, ut lucrum pro parte communicetur, impensae pro rata refarciantur, et dolus atque culpa levis praestetur.

Cum vero exercitores saepius non facile, quae ad societatem pertinent per se ipsi possunt expedire, moribus est introductum, ut exercitorum unus, vel etiam extraneus, procurator consti-

tua-

tuatur (1), qui societatis rationes administret adeoque lucrum inter exercitores distribuatur, et impensas a singulis pro rata parte repetat. Mandato ille instructus est (sive expreso five tacito), adeoque mandati directa actione, ut rationes reddat, reliquam solvat et culpam levem praestet, potest conveniri, et contra ab exercitoribus, contraria mandati actione, impensas omnes repetit, ut servetur indemnis. Quaeritur an singulos exercitores convenire possit *in solidum*, et dicendum est, omnino, juxta regulas juris communis singulos mandantes in solidum conveniri. *L. 59. §. 3. ff. mandati vel contra* et art. 2002. *Cod. Civ.* Neque in administratore exercitoriae societatis abrogata est haec juris regula, quin confirmatur *Decis. rot. Genuenf. XIV. (2)*. — In iis rebus, quae nudae administrationis fines excedunt, nullam potestatem habet ille, nisi quam nominatim concesserunt exercitores; adeoque non potest v. g. ex vi muneris sui solus decernere, quale iter sit suscipiendum, et quibus legibus navis locanda, vel merces conducendae sint, quae transferantur. Verum, constitutis hisce, ejus est procurare ea
om-

(1) *Boekhouder der reedery*, de quo vide *Pr. Landt. II. 8. §. 1431*; *Rusf. Seer. art. 162*.

(2) „Expendens nomine sociorum obligat quemlibet in solidum.” Locum citat J. J. SURLAND, *Grondst. van 't Zeer. door LE LONG, 1751. §. 52*.

omnia, quae, ut navis iter fuscipiat, sunt necessaria et despiciere, cujus merces fuscipiendae videantur. Ex dictis sequitur etiam magistri electionem ad ejus officium stricto jure non pertinere; nam, si qua umquam, certe haec res ejusmodi est, quae non ad nudam administrationem pertinet, sed a qua saepe totius exercitio- nis fortuna secunda pendet.

Ceterum solvitur exercitoria societas inprimis *rei interitu*, et si, ad petitionem dimidiae partis exercitorum, navis sit vendita.

§. 2. *Quis sit Magister navis et quis eo munere fungi possit.*

Qui ab exercitoribus navi praeficitur, ut suas in ea partes agat, dicebatur ille apud Romanos *MAGISTER NAVIS*; apud Franco-Gallos, pro vario itinerum fuscipiendorum genere, *patron*, *maitre*, *capitaine*; apud nostrates *schipper* aut *koopvaardy-kapitein*, quorum nominum posterius, utpote paulo honestius, inprimis usu venit. Definiunt autem Magistrum navis Romani: eum, *cui totius navis cura mandata est*, L. 1. §. 1. *de exercit. actione*. Ejus potestatem unice pendere a contractu, qui inter eum et exercitores intercedit, quivis intelligit facile. Si certo tantum negotio gerendo praefectus est, non tota navis administratio ipsi competit. *Locandis navibus,*

bus, mercibus conducendis, recipiendis vectoribus, armamentis emendis, exigendo nauulo ceterisque hujusmodi negotiis gerendis, singuli proponi possunt magistri, neque apud Romanos haec omnia ab uno semper gesta fuisse indicare videtur, *L. 1. §. 2. 12. 13. ff. de exerc. act.* Hi autem omnes quidem eodem nomine Magistri dicebantur; magis in specie tamen is, ad quem ipsius navis curam pertinebat: *navicularium* eum dictum putarunt nonnulli, verum nomen hoc potius exercitorum, quam navium magistrorum est dicendum. Cf. CICERO, *Epist. ad Div. XVI. 9. L. 13. §. 1. ff. Locati cond. L. 2. et 3. Cod. de naufr.* Etiam hodie variis pactis diversa magistro concedi potest potestas. Per procuratorem societatis et mercatores in terra peregrina, *correspondentes* vocant, ea saepe expediuntur, quae aliis temporibus ad magistri navis officium pertinet. Et, si institor aliquis specialis mercibus praepositus est (1), longe minorem earum curam habebit.

Quo modo cunque vero pactis circumscribatur ejus officium, difficillimum semper magnique momenti esse ejus munus, nemo ibit inficias. In medio mari semper summa ei potestas conceditur. Itaque praeter omnium earum rerum peritiam,

(1) *Super-carga, subrecargue*, quem Belgice in art. 19. *van Schipl.* 1568. vocant *een Vragtman*.

tiam, quae ad rem nauticam pertinent, coeli maris et orbis terrarum cognitionem, navisque gubernandae scientiam, summa praesertim in eo requiritur fides, prudentia, animi fortitudo. Committuntur enim ejus fidei multorum res familiares. Ab ejus prudentia Patrum familiarum non salus tantum, sed etiam vita pendet multorum. In periculis, non ab hostibus tantum excitatis, verum etiam procellarum vi saepe exortis, is est in nave, quem ubi omnes metuunt, solum non moveant tempestates oportet. Neque temere majoribus periculis sese objicere, neque meticolose leviora debet vitare. Quod si res adversa nautas premat, iis prospicere, iis animos facere; si qui munere non recte fungantur, eos corrigere; si seditionem parant, hanc compescere debet. Non nautae tantum, sed etiam mercatoris, quin judicis aliquando atque magistratus munere in sua nave fungitur. Vid. omnino THOMAS, *Eloge de DUGUAY-TROUIN* princ. EMÉRIGON *Tr. des Assur.* I. 7. 4. CLAIRAC ad art. 54. *Jurisd. de la Mar.* KURICKE ad *J. M. H.* III. 1. et 2. JACOBSEN *Seer.* II. 1.

Quae quum ita sint, exercitor operam det oportet, ut eum magistrum eligat, qui aptus sit ad tanta subeunda munera, et legislator, si legibus suis exercitorum securitati tuto potest consulere, earum promulgationem differre non debet. Est autem hac ratione quam maxime
uti-

utilis ille mos, quo magistro portio quaedam navis solet vendi, ut ita, cum negotia exercitoris recte gerit, sibi simul etiam prospiciat. Nam ea est fere hominum indoles, ut aliorum negotia eo rectius curent, quomagus id sua interesse intelligant (1). Verum enimvero quid ea de re statuet legislator? Num jubebit, neminem deinceps navi fore praeficiendum, nisi cui definita quaedam pars navis competat? An vero potius illud arbitrio relinquet exercitorum, inveteratam consuetudinem sequentium? Profecto hujusmodi constitutio facile posset eludi, et si qui religiosi magis essent exercitores, aptissimo et probatissimo magistro saepe navem committere non possent, quoniam pro illa parte, quod solveret, non haberet, vel de pretio universe inter eos non conveniret. Vide igitur ne rectius suae potestatis fiat exercitores, quam legi subjiciantur, quae, quam aliquando possit esse utilis, saepe tamen damno eos afficeret. Verum enimvero, sicubi recte magister quis possit esse, qui non simul etiam est exercitor, nusquam tamen ejus munere fungi quis potest, nisi instructus sit rei nauticae peritia. Hinc putet quis, utiliter constitui, ne quis magister admittatur, nisi cui, habito examine, jus concessum sit eo munere fun-

gen-

(1) Apposite Plinius Epist. IV. 13. „ de suo diligentes de alieno negligentes, ” saepius esse homines significat.

gendi. At vero reputanti de aliis dotibus, quae in magistro requiruntur, de prudentia, de fortitudine, de fide, de constantia, vix ac ne vix quidem, examen institui posse; habito autem examine, facile ineptissimos pro aptis haberi, arceri denique idoneos, qui examen subire non sunt ausi; et deinde cogitanti, neminem facile ab exercitoribus magistrum eligi, nisi cui maris usus rei nauticae dederit peritiam; haec, inquam, perpendenti facile persuasum erit, etiam hac in re non recte agere Imperantes, qui nimiam curam habent rerum a subditis in proprium commodum gerendarum. Censet autem JACOBSENUS *op. laud.* II. 1. pag. 109. statuendum, ut nemo, nisi qui per certum temporis spatium jam itinera maritima, nauta, confecisse probetur, magister possit constitui. Sed alius brevi tempore peritiam acquirit, quam alius ne longissimo quidem consequitur.

Est autem portionis magistro navis concedendi jam vetus mos. Ejus mentio est in *Cons. Mar. cap. 54.* et vetere libello Gallico *Guidon de la mer XV. 2.* quin etiam apud Romanos magister nonnumquam ex exercitoribus eligebatur. L. 4. §. 1. ff. *de exerc. act.* Verum hoc, quod fere ubique terrarum usu venit, nusquam, quod sciam, scripta aliqua lege sancitum est. Quod vero ad magistros legitime ad fungendum munere admittendos pertinet, constitue-

runt

runt multae gentes, ut nemo possit magister eligi, nisi qui civis sit, et examen subierit. In Suecia, et Hispania, atque olim quoque in Gallia hujusmodi examen habebatur, et neque apud Hispanos, neque apud Franco-Gallos ad illud admitti quis poterat, nisi jam per tempus aliquod, sive nauta, sive gubernator, maritima quaedam itinera confecisset. Cf. JACOBSEN II. pag. 109. et 112. *Ord. 1681. tit. du capit. art. 1. et 4.* MERLIN *Rép. in voce capit. de vaisf. march.* Jus civitatis in magistro, tum instituta Gedanensium, auctore KURICKE ad *J. M. H. IV. 1.*, tum vero etiam antiqua lex Gallica anni 1584. *Ordonn. de l'amirauté*, art. 86. et 87. requirebat. Cf. CLAIRAC ad *Jug. d'Ol. art. 1.* et ad *Jurisd. de la mar. art. 54.* EMÉRIGON *Tr. des asf. 7. 4.* Deinceps autem, sublatis hisce prohibitionibus, hoc sancitum est imprimis: jure Hispanorum, ut cautionem praestaret, et jure Hanseatico, atque deinde Borusforum lege, ne quis quem magistrum adhiberet, nisi probaret ille, prioribus exercitoribus rationes rite esse redditas, verum ex his Borusfi hodieque praeterea examen exigunt. *J. M. H. II. 1. Pr. Landr. II. 8. §. 1446. et 1448.* JACOBSEN II. 1. pag. 109. (1) Nostro autem ju-

(1) Etiam lege Russica jurati habentur et publica auctoritate admissi navium magistri et constitutum est, ne quis eorum

jure, cum nulla hujusmodi prohibitio inveniat-
tur, aequè atque olim apud Romanos, quem-
cumque velint, constituere magistrum possunt
exercitores. Quod si de persona eligenda non
consentiant, is magister erit, quem major pars
voluerit.

§. 3. *Qualis contractus sit, quem cum Ma-
gistro ineunt Exercitores, quænam culpa
ab eo præstetur, quale stipendium ipsi
tribuatur.*

Quærentibus autem cujus generis contractus
sit, quem exercitores cum magistro ineunt, ob-
servandum est primum, quatenus pars navis ipsi
tributa est, societatis eum esse participem, de
qua supra diximus. Verum enim vero aliud
etiã est inter eos juris vinculum. In rebus
exercitorum gerendis operas suas se præstiturum
pollicetur magister. Eorum vices per aliquod
tempus, vel in certum quoddam iter, in se
suscipit. Locationem hanc vocant operarum,
adeoque inter exercitores atque magistrum *locati-
onis conductionis* existit contractus, quo hic
operas promittit in nave administranda, omnibus-
que

eorum, qui illud jusjurandum publice non præstiterunt, ut-
tur ministerio, donec jurati non amplius supersunt. *Russ.
Seer. art. 6. et 7.*

quæ iis exsequendis, quæ mandato vel expreso continentur, vel juxta legis placitum eo tacite debent intelligi, pro certa mercede, vel in singulas mensas, vel in universum iter statuta. Cum vero ita mandatum expresum vel tacitum interveniat, dicitur nonnumquam *Mandatarius mercenarius*. Vid. EMÉRIGON, *Tr. des Assur.* XII., 4. *Contr. a la Grosse* IV., 12. Sed cavendum est, ne sic ipsa locatio-conductio cum mandati contractu confundatur. Nam licet hodie fecus, atque apud Romanos, ad *essentiam* contractus mandati non amplius pertinet, ut sit gratuitum. L. 1. §. 4. *ff. mandati* coll. art. 1986. *Cod. Civ.* sua *natura* tamen hodieque iste contractus gratuitus est, adeoque si de stipendio, cujus mentio in paciscendo facta non est, quaeratur, qui de mandato cogitant, affirmare debent, nullum a magistro posse exigere, quod tamen fecus esse dubium non est.

An scriptura hujus contractus leges exhibeantur, parum referre videtur. Russica lex, art. 17. et 18., illud exigit, atque Codicis mercat. conditores, juxta interpretes ad art. 250. de simili lege cogitarunt. Sed deinceps tamen potius duxerunt, simpliciter statuere, conditiones locationis intelligi vel ex instrumento, quo nautae omnes exhiberi solent (*rôle d'équipage*), vel etiam ex aliis partium conventionibus. Itaque pacta haec, quacumque velint ratione, etiam

E

tes.

testimoniis probare possunt contrahentes. Cf. PAILLIET, *ad Cod. Civ. art. 1341. extr. et ad Cod. merc. art. 109. (1)*.

Quaenam autem culpa in hoc contractu a magistro praestanda sit, lis est inter eruditos. De *lata* quidem et *levi* culpa non dubitatur; sed sunt, qui ad has formas magistri praestationem velint restringere. Juris analogiae vero convenientius videtur, ut eum etiam de *levissima* dicamus teneri. Licet enim utriusque partis versetur utilitas, adeoque levem tantum atque latam culpam praestandam quis putet, observandum tamen est, eum profiteri peritiam, aequae atque depositarius, qui se deposito obtulit, et negotiorum gestor. Nisi ille magisterium fuscipere voluisset, forte alius diligentius in eo faisset versatus. Praeterea in culpa imputatione etiam haec venire videtur aestimatio, utrum major minorve facultas sit domino, rebus suis ipse prospiciendi. Sic ratio intelligitur, cur in composito praestanda sit levissima, in precario vero lata tantum veniat culpa, §. 2. *Inst. quib. mod. re contr. L. 5. §. 6. ff. commod. L. 18. ff. eod. L. 8. §. 3. ff. de precario*. Qui precario rem suam alteri concessit, sibi imputet, si

(1) Juris Borussiae praeceptum potius est quam jussum, ut scripto celebretur contractus. *Pr. Landr. II. 8. §. 1450-1451. et 1452. coll. I. 5. §. 155. sqq.*

si diutius rem apud alium esse permiserit, sed commodans rem repetere non potest, antequam usus tempusve, ad quae rem concessit, elapsa sint. Ejus igitur, qui, licet vigilantissimus, rebus suis superesse non potest, patrocinium lex ipsa suscipit, sed derelinquit eum, qui, cum possit res suas curare, negligenter eas tractat. Hac autem regula, si quis in definiendo magistri officio utatur, facile videbit, plenissimam omnino magistro potestatem esse concedendam et minimam, vel nullam saepe curam ab exercitoribus posse adhiberi, ne ex minus recte gestis damnum aliquod patiantur. Itaque, ut de culpa etiam *levisima* teneatur magister, juris ratio non refragatur. — Russica lex summam in magistro diligentiam requirit, *art. 50. ad 56. et 57.* levisimam culpam etiam secundum *Ord. 1681.* praestari putant, tum VALIN ad *art. 9. du capit.*, tum etiam EMÉRIGON, *Tr. des Asf. cap. 12. 4.* et MERLIN, *Rép. in voce capit. de vaisf. (1).* De jure autem Codicis mercaturae ex *art. 221.* fere dubites; quin JACOBSEN, *Seer. II. pag. 117.* simpliciter affirmat, magistrum jure Codicis de culpa *levi* teneri tantum. Erroneam tamen hanc opinionem.

(1) Jure Borussico de levi culpa tenetur, „er muss die „versehen vertreten, die ein vorsichtiger und erfahrender „Schiffer sich nicht würde zu schulden kommen lassen.“ *Pr. Landr. II. 8. §. 1462.*

nionem, affirmare nulli dubitamus. Expresse enim in art. 230. fancitum est, de solis iis non teneri magistrum, quae vi majori accidisse probantur, adeoque, vel ex hoc articulo, magistrum de omnibus iis, quae ad vim majorem vel ad casum non pertinent, teneri, merito efficias. Deinde ubi legislator Gallicus dicit in art. 221.: *tout capitaine est garant des fautes mêmes légères, levisima culpa* nullo modo excipitur. Est enim notissimum, cum distinctionem Romanorum de culpa in Codicibus suis omittere voluisse, sed illam tantum, quod ad verba attinet, arcere potuisse, cum ipsius distinctionis ratio in ipsa rerum natura habeat fundamentum, et non inepta tantum fictio sit ICtorum Romanorum. Sic, ubi legislator art. 1880. et 1927. *Cod. Civ.* in commodato et deposito simpliciter eam diligentiam adhibendam significaverat, quam Paterfamilias in suis rebus praestare solet, mox tamen art. 1882. et 1928. majorem diligentiam in nonnullis causis a commodatario et depositario exigit, adeoque distinctionem inter levem culpam et levisimam re ipsa admittit. Equidem, cum haec reputem, dubitare amplius non possum, quin legislator memorans *les fautes même légères* majorem diligentiam, quam quae diligentis Patrisfamilias solet esse, exigere voluerit, adeoque eundem culpae gradum intellexerit, quam Romani dixerunt

runt culpam *levissimam*, five ejus curae omissionem, quam diligentissimus Paterfamilias in suis rebus adhibet. In art. 1992. Cod. Civ., ubi de levi culpa sermo est, memorantur simpliciter *les fautes* non addita voce *légères*. Sic apud Romanos *culpa* simpliciter posita de *levi* est intelligenda. Cf. L. 3. §. 1. ff. *nautae caup. stabul.* L. 8. §. 3. *de precario* aliaeq. Vid. omnino *l'Exposé des motifs*, par M. BÉGOUEN, ad art. 221. Quibus vero factis hanc culpam committat, passim in disputatione videbimus. Sufficiat observasse, huc maxime etiam referri oportere, quaecumque ex imperitia committat. Haec enim utique ad culpam pertinet L. 132. ff. *de reg. jur.*

Sequitur ut de stipendio, quod ipsi tribui solet, videamus. Varia ratione potest illud constitui. Possunt exercitores partem lucri magistro concedere. Possunt mercedem ipsi tribuere in universum iter. Possunt etiam in singulas menses stipendium ipsi praestare. Posterior haec ratio obtinet plerumque; verum observandum est ita mensium tantum mentionem fieri, ut consistet de summa ipsi pro operis praestanda, minime vero, ut in menses singulas locationis-conductionis contractus ineatur. Itaque nihil hoc impedit, quominus in universum iter conductus videatur, adeoque illud absolvere debeat, nisi ex justa causa impediatur. Huic stipendio

haec fere emolumenta accedunt, ut primo, nisi aliud actum fit, in suum commodum, nullo nautico soluto, merces inferre possit in eam navis partem, quae ei habitanda conceditur (*de Kajuit*) (1); et secundo, ut nautici certas ab exercitoribus accipiat centesimas; quod summa ratione introductum est in locum ejus pecuniae, quam olim ex mercatorum liberalitate, deinceps vero ex stipulatione ab iis accipere solebat magister, quae nomine *Kaplaken* maxime nota est. Nempe cum nauticum fere minuere, hanc vero pecuniam augere magistri intererat, in dies sic majus damnum habebant exercitores. Solebant propterea illi magistro eam legem dicere, ut, quemadmodum nauticum, ita etiam hanc pecuniam in suas rationes referret. Atque cum illud invaluisset, quaesitum est deinceps in patria, an quoties nihil de ea pecunia exercitores inter et magistrum convenerat, ad illos, an vero ad hunc pertineret (2). Hoc vero dubium amplius videri non potest, cum, uti dicebamus, exercitores, ne incertum illud damnum paterentur, centesimas illas constituerunt.

In-

(1) Secus Jure Borussiae II. 8. §. 1516.

(2) Extraordinaria haec merces Jure Borussiae ita demum magistro conceditur, si illud voluerunt exercitores, quin etiam sic trigessimam nautici partem excedere non potest. *Pr. Landr.* II. 8. §. 1518.

Incipit autem deberi stipendium, a quo tempore, confectione illius instrumenti, quo nomina, munera atque mercedes nautarum exhibentur (*rôle d'équipage*), perfectus est contractus. Meruit mercedem, ubi absolutum est iter, i. e., nisi in com meatum tantum conductus sit, si navis redux exonerata est, vela sunt demta, atque seburra imposita. Cf. *Placcaet* 1551. art. 16. et 17.; art. 8. *van Schiplieden* 1563.; *C. de C.* 256. coll. 433. Verum enim vero, quemadmodum erga ceteros creditores, ita etiam adversus nautas et magistrum adeo defungitur exercitor, modo navem naulumque (1) iis omittat. Itaque magister sibi in securitatem stipendii solam navem habet obligatam, unde novum ei nascitur momentum eam tuendi, atque in locum destinatum perducenti. Hypothecam ejusmodi concedunt *Conf. Mar.* cap. 34. 105. 136.; *VERWER* ad *Wb. Z.* art. 15. et ad art. 12. *van Schipbr.* 1563.; *CLAIRAC Jur. de la mar.* XVIII. 4.; *Arg. J. M. H.* IX., 5.; *Ord. 1681. des eng. et loy. des mat.* art. 19.; *C. de C.* 271. 272. Quin ut inter hypothecarios privilegio gauderet sancitum est *Conf. Mar.* d. cap. 34. 105. *CLAIRAC loc. cit. C. de C.* 191. N. 6. Praescribitur autem

(1) Naulum in jure habetur fere, si ita dicere fas sit, pro complemento valoris navis, adeo ut, quod deterior fit navis singulis itineribus, illud ex naulo reficiatur.

tem nostro jure jus stipendii exigendi, lapsu anni, post perfectum iter (*C. de C. 453.*), eadem ratione, qua illud etiam jusserat *Ord. 1681. des présér. art. 2.* Casus, quo, rationibus exercitoribus nondum redditis, reliquam adhuc pecuniam in potestate habet, excipiendus videtur juxta regulam, quam recte ad loc. cit. in partes vocat VALIN: *quae temporanea sunt ad agendum, sunt perpetua ad excipiendum.* Quum vero, deperdita aut capta nave, nautae stipendium prorsus amittant. *C. de C. art. 258.; Ord. 1681. des eng. et loy. des mat. art. 8.* moribus introductum est, ut ante susceptum iter partem stipendii acciperent, quam etiam perdita nave restituere non tenerentur. *C. de C. art. 258.* Sic, teste BENECKE *System. des Assec. und Bodm. Wesens. Vol. 1. pag. 83.,* Hamburgi duos menses stipendii ante iter susceptum accipiunt. *Jure Hanseatico, Tit. III. art. 6.,* si longiora erant itinera, tribus vicibus solvebatur, Scilicet in loco unde proficiscebatur, in eo quo tendebat, denique in portu, in quem redux navis appellebat, singulae solvebantur trientes, Apud nos vero aliosque populos hodiernos, nisi aliud actum sit, pars mercedis nautis tribuitur ante iter susceptum et, quod superest, demum post reditum solvitur.

Quod si impedimentum aliquod existat, quominus iter vel suscipiatur vel etiam perficiatur,
dis-

distinguendum est maxime, utrum illud, vel ex vi majore, vel ex culpa exercitoris, vel mercatorum proveniat. *Culpa enim auctori debet nocere*, sed quod ex vi majore, cui causam non dedimus, accidit imputari nemini potest.

Itaque prudenter statutum est jure nostro:

1^o. Si impedimentum existit ex facto exercitoris vel mercatoris,

α. ante iter susceptum, magister mercedem accipit pro operis jam praestitis in instruenda nave, et, ejus quod interest nomine, retinet eam, quam jam accepit, vel, si nihil adhuc solutum est, stipendii eam partem petit, quae cum una mense conveniat (1);

β. suscepto jam itinere, qui in universum iter conductus est, omnem mercedem accipit. Sed qui menstruum stipendium capit, pro rata parte temporis exacti, ratam stipendii recipit cum dimidia ejus, quam, nisi impedimentum exstitisset, verisimiliter adhuc meruisset. Reducitur autem utroque casu, sumptibus non suis,
in

(1) Quartam stipendii partem indemnitate nomine praestari jusserat. *Ord. 1681. tit. des eng. et loy. des mar.*
art. 3.

in locum unde navis profecta est. (1).
C. de C. art. 252.

2°. Si impeditum est iter, quoniam sublatum est commercium cum loco, quo tendit navis, vel haec *arresto* detinetur,

α. ante fuscèptum iter, merces tantum pro operis praestitis solvitur. *C. de C. 253. coll. Ord. 1681. des engag. et loy. des mat. art. 4. et 5.,*

β. si vero post inchoatum illud, prohibita navigatione in locum propositum, debetur rata stipendii pars. Sed, *arresto* detenta nave, per tempus detentionis demidia pars debetur, si quidem in menses conductus est magister (2). Nam, qui per averfio-

po-

(1) Iis qui menstrua stipendia habebant juxta art. cit. *Ord. 1681.* hoc casu nihil solvebatur praeter mercedem, cujus dies venerat, et impensas in reditum. Aequitati convenientius habemus Juris hodierni placitum. Ceterum possunt illae impensae in reditum speciali lege a Summo Imperante definiiri, ea ratione, ut non teneantur exercitores aliam navem vel certa quaedam loca in certa nave conducere, sed ut in singula milliaria certam pecuniae summam, pro vario nautarum ordine diversam, solvere possint. Ejusmodi constitutio apud Gallos habebatur 1. Aug. 1743. cujus verba relata sunt in *Nouv. Valin. ad art. 270.*

(2) Jure Hanseatico IV. art. 23., ubi *angariis* detenta fuerat navis, Nautarum omnium, adeoque etiam magistri, stipendium per illud tempus ex arbitrio peritorum definiiebatur.

nem in universum iter conductus est, incommoda detentionis patitur, quemadmodum commodum haberet, si breviori tempore quam futurum putaverat, iter fuisset absolutum. *C. de C.* art. 254.

Quod si magister ea lege conductus est, ut certam nauli partem pro operis haberet, intelligitur ejus aequae atque exercitorum damnum esse, si ex vi majore impedimentum sit ortum. Si culpa mercatorum ei locum dedit, partem ratam habet ejus, quod indemnitate nomine exercitoribus debent praestare. Denique, ubi exercitorum culpa est, indemnitas haberi debet. *C. de C.* art. 257. coll. art. 1850. *Cod. Civ.*, et *Ord. 1681. des eng. et loyers.* art. 7.

Ceterum productio itinere illius, qui in universum iter conductus est, merces augetur art. *C. de C.* 257.; si brevius fit non minuitur, nisi praeter exercitorum voluntatem hoc evenierit. *C. de C.* 256.; *Ord. 1681. d. tit.* art. 6. Cf. *C. de C.* 272.

§. 4. *Circa quas res versetur potissimum
Magistri officium, et quomodo ex
rebus, ab eo gestis, teneantur
Exercitores.*

Versatur autem magistri officium in administranda nave et curandis iis omnibus rebus, quae
ad

ad eam pertinent. Non autem est, quod multis probem, a voluntate exercitorum pendere, utrum majorem, an vero minorem, ei tribuere velint potestatem, a cumque, si fines mandati egrediatur, aliud fecisse videri. *L. 5. princ. ff. mandati.* Sed operae pretium est observare hoc loco, rarius et in majoribus tantum itineribus, scripta intervenire mandata (*instructiones*), quod tamen facile litibus inter exercitorem et magistrum occasionem dat. Semper autem longe plenior magistro conceditur potestas, quam qua vulgo procurator gaudere solet, quoniam rarior et difficilior est exercitorem adeundi copia, et ea saepe sunt tempora, quo vix agendi, nullo modo vero deliberandi est opportunitas. Itaque regula ponatur prima: *ea, quae nudae administrationis fines excedunt, a magistro peragi non aebent, nisi ex eorum consensu*; deinde, *si nulla copia est eos adeundi, ubi fieri potest, post rogatam praecipuorum nautarum sententiam, Judicis requiritur auctoritas*; denique, *si neque haec recte potest invocari magister satis tutus est, si quatenus fieri potuerit, nautarum sententiam expetierit.* Intelligitur autem ex his regulis, quomodo et quibus cautelis adhibitis, navem obligare possit magister, licet vulgaris administrationis fines egredi videatur, qui alteri *jus* in re concedit; nempe tunc cum hoc ad servandam navem, atque

que perficiendum iter susceptum necessarium esse constat. Atque hinc sequitur etiam, magistrum navem alienare non posse, nisi hoc ei expresse permisum sit. Nam plus omnino agere videtur, qui alienat quam qui obligat, et conservandae navis curam habuisse dici non potest, qui eam vendidit. Merito igitur ipsum hoc fancitum est jure positivo. Cf. *Conf. Mar.* cap. 253.; *Wb. Z.* art. 13.; *Jug. d'Oler.* art. 1.; art. 12. *van Schipp. en Koopl.* 1563.; *Ord.* 1681. *tit. du Capit.* art. 19.; MERLIN, *Rép.* in voce *Capit. de vaisf. march.*; *Pr. Landr.* II. 8. §. 1522.; *C. de C.* art. 237. Sed quid si navis fracta est, vel laesa, ea ratione, vel eo loco, ut reparari nequeat, sive nimis magnae requirantur impensae: similis v. c. pecuniae summa, pro qua nova possit navis aedificari; sive nimis longum sit tempus, sive locus, ubi versatur, is sit, ubi tignum coemi non possit, sive denique, alia quacumque ratione, aliquid desit, quod ad instaurandam navem est necessarium? Prudenter jura civilia hunc casum excipiunt atque permittunt adeo magistro, ut, cum rite de hacce navis conditione constet in commodum exercitorum eam vendat. *Conf. Mar. d.* cap. 253.; *C. de C.* art. 237. EMÉRIGON, *Tr. des asf.* cap. 12., 33. Constat autem de hac re ex declaratione: Judicis competentis. Quis vero ille sit, ex art. 234. et 245. facile colligitur. De ratione, qua petere hanc

hanc declarationem debet, videatur MAUGERET, *Législ. Commerc. ad art. 237. cit. Add. Jus Dan. IV. 2. 12.; Pr. Landr. II., 8. §. 1523.*

Nulla autem umquam *usucapione* navis dominus potest evadere. Nam non proprio nomine et animo domini navem possidet. Neque potest quis contra titulum suum dominium praescriptione acquirere. Cf. *Ordonn. 1681. art. I. des prescriptions. C. de C. art. 430. ibique le Nouveau Valin.* Sed quid si capta fuit navis; sed magistri industria recepta vel ejus pecunia redempta? Fatendum omnino ita e potestate exercitorum dimissam aliquando fuisse navem, adeoque jure Belli hostium esse et, si stricti juris rationem spectamus, eodem belli jure, tamquam rem hostilem, posse capi, vel, utpote rem alienam, a magistro posse emi. Verum enimvero, ut fusius infra dicemus, ad officium magistri non tantum cura navis pertinet, dum salva est; sed debet etiam operas impendere, ut amisâ recuperetur, quemadmodum fractae quoque navis tabulas colligendas debet curare. Faceret igitur contra bonam fidem, si erga eam navem, quam tuendam receperit, hostem sese gereret, atque proinde redimens, vel quacumque ratione recuperans navem, nomine exercitorum et ratione officii illud egisse videtur. Cf. EMÉRIGON, *Tr. des Ass.* cap. 12., 25.

Quod

Quod autem diximus, posse exercitores, quacumque ratione velint, magistri potestatem vel amplio- rem reddere vel circumscribere etiam, ita intelligendum est, ut ex restricto ejus officio tertii nullum damnum patiantur. Nisi igitur legitima illis facta sit denuntiatio, recte putant extranei, eadem jura esse magistro tributa, quae plerumque habere solet; adeoque, quae secundum haec cum magistro contrahunt, rata sunt, et etiam contra exercitores vim plenam habent et efficaciam.

Scilicet in jure Romano, qui cum magistro contraxit, non tantum directam actionem habet contra hunc; verum subsidiariam etiam contra exercitorem, modo mandatum egressus non sit, *L. 1. §. 2. ff. naut. caup. stab.*; *L. 1. §. 12., 13. et 14. ff. de exerc. act.* (1). Quin licet vetuerit exercitor, ne contraheret, obligatur nihilo minus, quatenus recte illud ignoraverint tertii arg. *l. 1. §. 5. ff. de exerc. act.*, „*omnia enim facta magistri debet praestare qui eum proposuit, alioquin contrahentes decipientur.*” (2). Nam, uti recte ULPIANUS ait

(1) Recte ait THEOPHILUS ad tit. Inst. *quod cum eo qui in al. pot. ὁ γὰρ προϊσῶν τινα, δοκεῖ λαμπρῶς λέγειν τῆ Φανῆ, ὅτι ἐγὼ τοῦτον πρόεξησα, ὁ βουλόμενος αὐτῶ συναλλαττέτω.*

(2) De actione exercitoria Specimen Juridicum inaug. scripsit amicus Consult. W. J. C. VAN HASSELT, *Leid.* 1829.

ait in *d. l. i. §. i.*, „ *interdum locus, tempus non patitur de potestate magistri plenius deliberandi consilium.*” In *Conf. mar.* etiam cap. 226. fanciuntur, ea, quae cum mercatoribus, et si contra voluntatem exercitorum a magistro contrahuntur esse rata. Facta magistri ab exercitoribus praestanda iusserat *art. 2. tit. de propriët. Ord. 1681. Add. Pr. Landr. II., 8. §. 1525., 1526. et 1532.* Accuratus in *Cod. merc. art. 216.* exercitorem obligari constitutum est, ex factis magistri, quatenus navem spectent et iter susceptum. Nempe in iis, quae navem atque iter omnino non spectant, personalis tantum magistri est obligatio. Neque tamen probare debent propterea, qui cum magistro contraxerunt, rem mutuo datam venditamve in commodum exercitoriae societatis cessisse; sed exercitoriam possunt instituere, si probant se jure putasse, magistrum ratione officii cum iis egisse. arg. *l. i. §. 9. l. 7. ff. de exercit. actione.* Quod si ita dolus vel culpa magistri intervenit, hoc locum potest facere actioni mandati directae ab exercitoribus contra magistrum instituendae; sed jura eorum, qui legitima ratione cum magistro contraxerunt, sic non mutantur, quemadmodum *Cap. III. Sect. 3. §. 5.* accuratius videbimus.

Est autem hoc loco ingens inter jus Romanum et leges recentiores notandum discrimen.

Qui

Qui cum magistro egerant fidem secuti videbantur ejus, qui eum praeposuisset, sive unus sit sive plures, et propterea quisque exercitor sine distinctione, utrum magna ejus portio esset in nave, an vero minima, *in solidum* poterat conveniri, *ne in plures adversarios distringatur, qui cum uno contraxerit.* Cf. *L. 1. §. 25.; L. 2., 3., 4. §. 1. ff. de exerc. act. coll. L. 27. §. 8. ff. de peculio.* Quod placitum naturali aequitati convenire minus recte negare videtur GROTIUS *de J. B. ac P. II., II., 13.*; ubi vid. BARBEYRACIUS. Add. HUBER *in Prael. ad tit. ff. de exerc. arc. in fine*; STYPMANNUS *J. M. IV. 15. N^o. 188., 189. pag. 547.* Videbatur autem ita nimia fere esse potestas magistri, quippe qui, re male gesta, vel locupletem exercitorem facile ad paupertatem redigeret. Itaque in favorem mercaturae medio aevo inducta est haec juris ratio, ut non amplius exercitor, sed potius navis ipsa propterea, quae a magistro gesta erant, haberetur obligata. Mari navem committit exercitor; ejus curam magistro habendam mandat; amittere eam potest, vel maris periculis, vel mala magistri administratione; sed, quas hisce periculis credere noluit, res familiares ceteras, salvas retinet, nisi magis peculiariter, ut eas quoque obligaret, magistro permiserit, quo casu sibi damna majora debet imputare.

Consulatus Maris jam hujus juris meminit, cap. 34., 61., 70., 236., 251., 286.; item CLAIRAC, *Navig. des riv.* art. 15. in op. laud. *Us et cout. de la mer*; *Statuta Hamburg.*, de quibus vide KURICKE, ad *J. M. H.* VI., 2. pag. 766. De eadem re apud nostrates jam diu obtinente conferri possunt GROTIUS, de *J. B. ac P.* II. 11. 13.; Idem *Inl. Holl. Regtsgel.* III., 1. §. 31. et 32.; J. COOREN, *Observ.* 40.; *Holl. Consult.*, Deel III. N^o. 321.; STYPM. IV. 15. N^o. 190. pag. 547.; LOCCENIUS III., 7., 10. pag. 1033.; KURICKE, *Quaest. Ill.* XX. pag. 876.; VINNIUS ad PECKIUM, pag. 155. Neque aliud statuit apud Franco-Gallos, *Ord.* 1681. tit. *des propriét.* art. 2., apud Borusos, *Pr. Landr.* II. 8. §. 1529. (coll. tamen art. 1533.), apud Rusos *Lex CATHARINAE*, a. 1781. art. 165., quique hodie vim legis obtinet *Codex merc.* Gallicus, art. 216., ubi, exercitores non amplius quam de nave et nauulo teneri, diserte dicuntur.

Exceptio est ab hac regula, si magister debitum aliquod vulgare contrahens, utiliter exercitorum negotia geserit. Qua in re eventus minime spectandus est. L. 12. §. 2. *ff. de negot. gestis* (1). Existit autem hicce casus imprimis

si,
(1) SENECA, *Epist.* XIV. „consilium omnium rerum „sapiens non exitus spectat. Initia in potestate nostra „sunt, de eventu fortuna judicat.”

fi, ut navem ab hoste redimat, cambiales litteras, quibus obses fortasse est additus, concesserit. Debent hoc casu etiam si navis deinceps vel perierit vel ab aliis capta fuerit, pecuniae summam, quam continent illae, solvere obfidemque liberare, modo probetur re vera utiliter negotium esse gestum, id est, non redemptam esse navem, quae tamen exercitoribus periisset, vel pro ea summa, quae manifesto excedat rei redemptae valorem. Cf. omnino EMÉRIGON, *Tr. des asf.* XII. 31. §. 7. sqq. et nostr. disp. Cap. III. Sect. III. §. 4. Utrum autem contra magistrum, an contra exercitores actio instituta fuerit, parum referre videtur. Nam sententia, contra eum ratione officii sui lata, contra illos etiam potest executioni mandari. Magister, uti recte observat VALIN ad art. 216., saepe tantum convenitur ideo, ne excipiat exercitor, magistrum in iudicio vocandum esse, ut constet de eo, utrum jure an injuria instituat petitionem. Praeterea saepe, qui cum magistro contraxerunt, ignorant, ad quosnam navis pertineat, et quinam adeo praeter magistrum in jus vocandi sint. Universe autem ipse magister, quoties ex vi mandati sui egit, atque munus suum non dissimulavit, nullam personalem obligationem contrahit per *L. 15. Cod. de adm. tutor. L. 20. ff. de instit. actione*, nisi quam ultro suscipit; nam procurator, qui pro domino vinculum

obligationis suscepit, onus ejus frustra recusat. L. 67. ff. de procur. Itaque agerent prudentius magistri, si minus faciles essent in contrahenda personali obligatione, atque nunc saepe sunt.



T H E S E S.

1.

Est omnino Jus aliquod Naturae, diversum a Philosophia Juris, quod non connata tantum, verum hypothetica etiam complectitur officia, atque ipsius adeo juris positivi fons est habendus.

2.

Ab HUGONE, viro summo, dissentimus in Hist. Jur. Rom. ed. 7^{ma}. §. 106. statuenti, jam XII. tabularum temporibus feminis Romanis licuisse, ut, tutoribus auctoribus, testamenta conderent.

F 5

3.

3.

Edicto, auctore HADRIANO, a SALVIO JULIANO composito, quo priora correctata sunt et amplificata, minime ea vis tributa fuit, ut, qui deinceps honoribus fungebantur, Magistratus nova edicta proponere prohibiti fuerint.

4.

ICti Romani servitatem minime rectae rationi contrariam putarunt.

5.

Quod observari solet, ex legibus, quas sibi constituunt, variarum gentium intelligi indolem, conspicuum etiam est in Judicum Arbitratorum apud Gallos institutione, quae imprimis rerum politicarum conversioni originem debuit.

6.

6.

Non videtur ea institutio esse ejusmodi, ut in novis legibus ferendis sit servanda.

7.

Nuptiae secundae a vidua, intra decem menses post dissolutas priores nuptias contractae, nullae non sunt.

8.

Instrumentum privatum, contractum synallagmaticum continens, cujus tot exempla, quot sunt partes contrahentes, confecta non sunt, jure nostro tamen vim habet semiplenae probationis, quae scriptura constat (commencement de preuve par écrit); ideoque testibus adhibendis locum facere potest.

9.

9.

Non valde sibi constare videtur jus Gallicum, cum, deficientibus descendibus, portionem legitimam adscendentibus concedat, et testatori permittat, conjugi tribuere jus eâ utendi-fruendi. Cf. Cod. Civ. art. 915. coll. 1095.

10.

Quandoquidem et multa justa poena est, bonorum publicatio ejusmodi, qua salva manet liberorum portio legitima, injusta haberi nequit. Humane tamen a Rege nostro lege 11. Dec. 1813. art. 2. sublata est.